LAUS DIUI THOMAE PRO EXPLICATIONE, ET DEFENSIONE DOCTRINAE TRADITAE A R.M...

Didacus : de Morales





Digitized by Google

LAVS
DIVI THOMAE
PRO
EXPLICATIONE, ET DEFENSIONE

DOCTRINÆ TRADITÆ

A R. M. Grauina in Cherub. Parad.

Auctore Fr. Didaco Morales Sacerdote Ordin. Prædicat.






Neap. Apud Nouellum de Bonis Typog. Archiep. 1662.

Digitized by Google

Digitized by Google



BEATISSIMO PATRI,
AC
SANCTISSIMO
DOMINO
ALEXANDRO
SEPTIMO.

Fr. Didacus Morales, Sacerdos Ordinis Prædicatorum.





CLarissimarum virtutum nitore, quo diuinitus resplendes, Sanctissime Pater, factum necessariò est, vt intentos in admirationem tui hominum oculos sem-

Digitized by Google

per habeas. Abſentes per Famam vident. Præſentes per experimentum. Et Tu, ardore charitatis eminens gratiarum cœleſtium dono vigens, cuncta, hinc indè renouando, luce perfundis. Quia verò natus communi bono, ſimul videris cuilibet Filiorum Eccleſię totus deditus, non minus, quàm totus omnibus, fatentur vniuerſi, *nunc Dei munere Summum Pontificum ſummum hominem eſſe, non æmulatione, nec odio, aut prauis affectionibus obnoxium.*

Tacit. lib. 4. ann.

Et quidem ab antiquo ſignatam, vel vaticinatam in Tuis ſtemmatibus poteſtatem, proprio quodammodo iure vindicaſti, *Non ſolùm, quia ſicut mons excelſus eſt ſupra terram, ita, qui virtutem exerces, terra es excelſior:* Sed quia cum ſis bonorum cœleſtium Diſpēſator, Regni Dei Theſaurarius, & Vice ſuper terram Chriſtus, *ob id inter cœlum, & terram tenes medium, ſicut mons.*

D. Athanaſ. de interpret. ſac. Script. q. 83.

D. Athanaſ. ibid.

Florentiſſimis ingenijs dicta, factaque Tua nobiliſſimam materiam, æternitati de-

debitam, elargiuntur, videtibus etiam rudioribus, quòd *Romam Vrbem conditam vi, & armis, iure eam, legibusque, de integro condere paras*. Sed vulgaribus hominibus conuenientissimum est tacere, videre, mirari. Scribant sapientes. Laudent eloquentes. Liuius lib. 1.

Indè ego sine nomine, cum prioribus illis annumerer, *Omitto Te tanto cultu Ecclesiam Tibi creditam conuenustare, vt dubitet inspector, meliusne noua opera consurgant, an vetusta reparentur. Omitto per Te plurimis locis Basilicarum fundamenta consurgere, ornamenta duplicari. Cùmque multa in statu Fidei Tuis dispositionibus augeantur, solùm hæreticorum numerum minui.* *Sidon. Apol. lib. 6. epist. 12. ad Papam Patientem.*

Vnum tantùm dicam. Quòd vsque ad sacrorum pedum osculum nesciens sine duce ingredi, Diuum Thomam sequendum elegi, huius adorationis, sicut & omnium iurium ad Sedem Apostolicam pertinentium, eximium obseruatorem. Nuper ille exiuit à Te, felix, iucundus,

deco-

decoratus, laudatus. Nunc regreditur ad Te commendatione diuersa, ex oppositoquè orta principio, cum sit *commendatio ex iniuria*. Volunt enim aliqui homines eum minus laudatum, vt dictitant, quatenùs elogia Thomistica in præiudicium ipsorum non procedant. & vetustum illud malum apud ipsos est, *alienum fastigium in diminutionem sui accipere*.

Tacit. ann. 3.

Tacit. ann. 1.

Ecce ergo Doctor Sanctus Tuo venerando conspectui se præsentat cum elogijs suis omnibus, ab hac Sanctissima Sede emanatis, vt suis, non contemnendis, vt ab Ea adorandis. Inspice Sanctissime Pater. Nihil ab humilitate Angelici Magistri tam alienum, quàm laus improba. Nihilque Tibi tam proprium, quàm emanata cuncta ab hoc Diuino fonte, veritatis sapore discernere. In posterum saltem obijciet nullus, quòd inscio Te, & non à Te, similia in diuinis officijs psalluntur.

Ast *perorata, vt mediocritas ingenij mei tulit, causa, scio commendationis partes esse reliquas: sed has superuacuas facit*

Quintil. declam. 3.

San-

Sanctitas Tua, Cui ea vita, in qua nihil præteritum excusandum habeas: Cui ea forma mentis æterna, quam tenere, & exprimere, non per alienam materiam, & artem, sed Tuis Ipse moribus possis. *Tacit. hist. 1.* *Tacit. Agric.*

Diù igitur viue in Ecclesiæ Dei, cui præes, perpetuam felicitatem. Neapoli die 20. Decemb. Anno Domini 1661.

Digitized by Google



Digitized by Google

LECTORI.

CVM Hiſpaniæ Prouinciæ meæ negotia, à Prælatis, & Maioribus meis mihi commiſſa, ad hanc omnium Ciuitatum Reginam,& matrem me aduĕtare compulerint: ita inuerſæ ſunt vices rerũ, vt quaſi ab importunis, & mecanicis ferè contentionibus vacans, commodum tempus percurrendi libros nãciſcerer.Inter primos fuit obuius Grauina noſter, omnis eruditionis genere valdè conſpicuus. Legi apud eum nõ ſemel Præceptoris Angelici laudes Cherubicas. Suſpexi eius in dicendo facilitatem: efficaciam in arguendo: methodicam in diſtribuendo amplitudinem: veritatem in docendo:ſingularemq; felicitatem in ordinando.Cùm multa tamen,& varia membra diſputationum ei tractãda, diſponendaque occurrerint, non omnia plena manu ditata,ſed prout præfixa methodus expoſcebat,potuerũt è ſuæ ſapientiæ officina emergere.Et ideò licèt reſpectu totius operis conuenientem portionem ſingula ſortiuntur, inſpecta ſeorſim eorum aliqua maiori egent. Quamobrem extra deliberationem potiùs, quàm ex aliquo voto, incidi inſenſibiliter in meditationes quaſdam raptim inter legendum ſeſe offerentes, quæ, iuxtà amoris proprij adulatorium genium, omninò diſplicere non ſolent. Hæc fuit prima occaſio, vt earum aliquibus ſtylo curſorio notatis, & poſteà alijs plurimis ſuperadiectis, mouerent me ſimul iunctæ vnum, vel alterum punctum ſeligere à Magiſtro ſapientiſſimo leuiori calamo defenſum, in quo, dum tempus æſtiuum nobis hęc otia facit, paruitatem virium mearum exercerem. Quo firmiter apud me conſtituto, difficilè poſtmodùm non

b fuit

Digitized by Google

fuit circa electionem disputationis calculum ferre. Cùm namquè inter eas vna sit, *an impugnatores Diui Thomæ suspicionem veritatis incurrant?* Sors ita cecidit, quòd dum ego cursim, obiterquè legebam, quæ fortuitò, & incidenter notabam hùc inclinare pro maiori parte reperij. Quamuis nec diffitear, eam obiectionem à contemnendo principio exortam, & in dies irrationabiliter inculcatam aduersus meæ Religionis veracitatem, compulisse me ibi custodire vigilias, vbi bellum impetuosiùs ardere dolebam. Tu Lector optime, si Thomista es, solue animum ab omni amoris vinculo in iudicando: si aduersarius, etiam in contradicendo: si indifferens, ius dic de veritate. Omnes vos autem, vel domesticos, vel alienos rogo, vt si quando inter disputandum incalescat oratio, in sinistrum sensum disceptationem eam non torqueatis, sed, circumstantijs omnibus perpensis, trutinetis, an plures ad ignoscendum, quàm ad reprehendendum latitent causæ? Semperquè eo animo lapsa corrigite, ac ego vt feliciter valeatis, plurimùm opto.

Ap-

Approbatio Adm.R.P.M. F.Gregorij Saydia in præsenti Bacchalauri ordinarij in Generali Studio Sancti Dominici de Neapoli.

IVssu R. Ad.P. M. F. Antonij Gonzalez de Acuña Reuerendissimi Patris Nostri Magistri Generalis Socij, & ab eo Regni Neapolitani Commissarij Visitatoris, & Vicarij Generalis destinati, librum perlegi, cui titulus est, Laus Diui Thomæ pro explicatione, & defensione doctrinæ traditę à Reuerēdiss.P.M.Grauina in lib.Cherub.Parad. nihilque in eo, quod bonis moribus, aut Sanctorum Patrum decretis, aut deniquè Fidei Orthodoxæ diffinitionibus repugnaret offendi: immò eum sic (nisi fallor) censeo eruditione, claritate, ac subtilitate plenum, vt omnibus literarum professoribus gratus futurus sit, atque perutilis, sicquè meo iudicio dignissimum illum existimo, vt in commune commodum prelo mandetur. Neap. in Regali Conuentu S.Dominici die 6.Februarij 1662.

F.Gregorius Saydia, qui sup. manu propria.

Digitized by Google

Approbatio Adm. Reu. P. M. Fr. Seraphini de Ianuario, olim Regentis in Gen. Studio S. Dominici de Neap.

LIbrum, qui inſcribitur, *Laus Diui Thomæ pro explicatione, & defenſione doctrinæ traditæ à R. P. Magiſtro Grauina in lib. Cherub. Parad.* elaboratum à Reu. P. Præſent. F. Didaco de Morales, ex commiſſione Adm. Reu. P. M. Fr. Antonij Gonzalez de Acuña Reuerendiſſimi Patris Noſtri Magiſtri Generalis ſocij, & ab eo Regni Neapolitani Commiſſarij, Viſitatoris, & Vicarij Generalis deſtinati, à me viſum, & ſtudiosè perlectum, teſtor nihil continere, quod à Sacra, & Orthodoxa Fide diſſentiat: inſuper & multa doctrina, ac pietate refertum, digniſſimum cenſeo, qui ſtudiorum bono Typis mandetur, & in lucem edatur. Neapoli in Regali Conuentu S. Dominici die 6. Febr. 1662.

F. Seraphinus de Ianuario Mag.

Nos

Digitized by Google

Nos F. Antonius Gonzalez Ord. Prædic. S. Thom. Mag. Reuerendiss. P. F. Io. Baptistæ de Marinis eiusdem Ordinis Gen. Magistri Socius, ac ab eodem in Regno Neapolitano Commissarius, Visitator, & humilis suus Vicarius Generalis institutus.

H*Arum serie, Nostriq. authoritate officij stante Adm. RR. PP. M. M. F. Seraphini de Ianuario, & F. Gregorij Saydia Prouinciæ Nostræ Regni ad hoc à Nobis specialiter deputatorum approbatione, facultatem facimus, vt liber inscriptus* (Laus D. Thomæ, &c. Authore P. Fr. Didaco Morales eiusdem Ordinis Prouinciæ Hispaniæ in S. Theolog. Præsentato) *Typis mandetur, seruatis de iure seruandis; in quorum fidem has literas dedimus. Neap. in Nostro Regali Cœnobio Sancti Dominici die* 8. *Februarij anno* 1662.

Fr. Antonius Gonzalez Vic. Gen.

Reg. fol. 88.
F. Aloysius de Gratia
Mag. & Soc.

Digitized by Google

In Congregat. habita coram Eminentiss. & Reuerendiss. Dom. Card. Philamarino Archiep. Neap. sub die 27. mensis Ianuarij 1662. fuit dictum, quod R.P.D. Ioseph. Mendozza Congreg. Piorum Operariorum reuideat, & in scriptis referat eidem Congregationi.

Paulus Garbinati Vic. Gen.

Can. D. Matth. Renzi S.T.D.
& Consult. S. Off.

Eminentissime Princeps.

O*PUS hoc, quod inscribitur* (Laus D. Thomæ) *Authore R.P.F. Didaco Morales Ord. Præd. in Sac. Theol. Præsentato meritissimo, atq. doctissimo, non sine iucunditate perlegi, nihilq. in eo inueni, quod puritati fidei, aut bonis moribus, vel Pontificiū sanctionibus aduersetur: quin potiùs omnia cōsona, perspicua, & suo Authore digna. Quare, non solū Opus veneror, & quàmprimū vt typis mandetur dignum puto: verùm etiā valdè laudo, & approbo. Quis enim S. Doct. laudes nō approbauerit, & laudauerit, quem Theologiæ Angelū vniuersus prædicat Orbis? Cuius non pauci discipuli*, Principes *Theologorum audiunt? de quo, quot articulos scripsit, tot miracula fecisse clamant Pontifices? A quo, omnem scientiam requirēdam esse prophetauit Malachias.* Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. *Quem nobis, plusquam Salomonē dedit Innocent. VI. Quem ferè omnes Academiæ, ac Religiosorū Ordines, suis in scholis Antesignanum habēt? Cuius tutam, & illibatā doctrinā, ipsa summa veritas Christus semel, & iterum approbauit, & laudauit? Quæso, quis nō dabit encomia? quis non dabit elogia? Laudent igitur eum, & iure meritò, vt veritatis Doctorem superexaltent omnes veridicorum, & verè subtilium scholæ: quia tàm in Philosophicis,*

Digitized by Google

cis, quā Theologicis, vt in omni genere doctrina, gladius gloria, & laudis, in manu D. Thomæ est. Neap. die 6. Mart. 1662

Eminent. Tuæ

Addictissimus

D. Ioseph Mendoza Cong. Pior. Oper. Theol. & lib. Censor.

De ordine Eminentiss. & Reuerendiss. Domini Card. Philamarini Archiep. Neap. extra Congreg. fuit dictum, quod stante relatione retroscripti Reuisoris.

IMPRIMATVR.

Paulus Garbinati Vicarius Gener. Neapol.

Can. D. Matth. Renzi S. T. D. & S. Off. Consult.

Digitized by Google

Illustriss.& Eccellentiss.Signore.

NOuello de Bonis supplicando fà intendere à V. E. come desidera stampare vn libretto intitolato, (*Laus D.Thomæ*) per tanto supplica l'E.S.resti seruita ordinare li siano concesse lè solite Regie licenze, che l'hauerà à gratia,vt Deus,&c.

R.P.Fr.Seraphinus Caparrus videat, & in scriptis S.E.referat.

Galeota Reg. Musettula Reg. Vlloa Reg. Nauarra Reg.
Prouisum per S.E.Neap.die 20.Aprilis 1662.

Anastasius.

Illustriss.& Excell.Domine.

L*Ibrum ab Adm.R.P.Sac.Theolog.Præsentato F.Didaco Morales editum,cuius titulus* (Laus D.Thomæ) *vt Excellent.Suæ præceptis facerem satis,accuratissimè perlegi: tantum abest,quòd sim quicquam Regalibus sanctionibus repugnans,inuentus,vt per oppositum opus illud summa pietate erga Sanctum, & lectoribus abundè eruditione refertum conspexerim, vndè, & vt typis mandari queat dignum duxi. Datum Neap. in Conuentu Regali S. Dominici die 23.mensis Aprilis 1662.*

Illustriss.& Excellentiss.Domine


Obsequentiss.seruus

F.Seraphinus Caparrus de Neap.Sac.Theol.Mag.


Visa supradicta relatione IMPRIMATVR.
Et in publicatione seruetur Reg.Prag.
Galeota Regens. Musettula Regens. Vlloa Regens. Nauarra Regens.
Prouisum per Suam Exc. Neap.die 28.Aprilis 1662.

Anastasius.

Digitized by Google



Qui S. Thomæ doctrinam impugnauit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus.



EX recta intelligentia, & authoritate horum verborum tota lis pendet. Quapropter, ſi illorum legitimum ſenſum, Authori ſuo, & rationi conſonum explicuerimus, extra totius controuerſiæ ſtatum, noſtra terminabitur oratio. Cauſam in primis fauorabiliorem agimus, qui tanti Eccleſiæ Doctoris laudes, pro viribus defenſandas ſuſcepimus. Etenim iudicio noſtro, habens præſumptionem impugnandi, etiam affirmandi, impugnationem à ſe factam aduerſus quemlibet Eccleſiæ Doctorem, ita ſtrenuè procedere, vt nec falſitatis aliquam ſuſpicionem in contradicendo, & impugnando eum incurrat, ex hoc ipſo adinodum ſuſpectus elationis, inſcitiæ, nedum falſitatis euadet.

Iudicio inquam noſtro hoc verum eſt, ſed iudicio doctiſſimorum, ac ſanctiſſimorum virorum, rigidiorē cenſuram huiuſmodi in contradicendo audacia merita fuit. Sanctū Proſperum audiamus pro Diuo Auguſtino loquētem: ᵃ *Cuius* (inquit) *prædicationis quiſquis* *eſt*

ᵃ S. Proſp. ad excerp. Genu. ad dub. 9.

est impugnator, apertissimus est Pelagianæ elationis adiutor. ergo similiter non solùm de veritate suspectus, sed hæreticus, vel hæreticorum adiutor, quandoque cōdemnandus venit, qui cum hoc Ecclesiæ Doctore bellum gerens, contrarium doctrinæ illius affirmare præsumit. Audiamus etiam Eminentissimum Baroniū de eodem Doctore mirabili, dū ita loquitur: [b] *Sancti Augustini auctoritas, & doctrina lædi nunc, & vlla ex parte impugnari, aut reprahendi non potest, sine manifesto vigini:, & amplius Summorum Pontificum contemptu, & sine singulari Sanctæ Sedis Apostolicæ iniuria.* Impugnatores itaque eius transgrediuntur omnis suspicionis metas, quia euadunt plurimorum Pontificum contemptores, Sanctæ etiam Sedis iniuriatores singulares. Nec mirum, cùm vel vni Doctori Sancto contradicere, facinus visum fuerit in septima Synodo à nemine patrandum. In hoc enim sensu, & in fauorē D. Chrysostomi interrogat Synodus: [c] *Sanctus Ioannes oris aurei talia dixit de Iconibus, Quis audet dicere quidquam contra?* quasi dicat, nullus. Quia impugnare Chrysostomū non contingit, nisi per audaciam ab illius Synodi sanctissimis Patribus modis omnibus exprobrabilem. Eodemque tenore verborum Concilium Chalcedonense, propugnans auctoritatem Diui Cyrilli, ardenter inquirebat: [d] *Quis poterit Patris nostri Cyrilli reprehendere voces?* vti Concilium diceret, cum virtute legitima ad reprehendendum, nemo.

De Diuo autem Thoma Sāctus Præsul Antoninus veridicè scripsit, [e] quod *dederat veritas sibi os, & sapientiam, cui nullus aduersarius resistere poterat, vt quis veritatem contemnens, vt rabidus proteruiret, aut vt cæcus in tenebris ambularet.* Sed ab amico, & domestico

b Baron. in not. ad tom. 10. p. 9. c. 9.

c Synod. 7. act. 3.

d Concil. Chalced. act. 1.

e S. Anton. 3. p. hist. tit. 23. c. 7. §. 5.

ca-

Digitized by Google

calamo, si responderis, non mirabor. equidem scio, quod aliquibus hominibus quasi insitus ab ipsa natura spiritus contradictionis est. Legas igitur quæso elogium, tanto Doctori aptissimum, apud virum inter nobiliores Societatis Iesu filios, religione, & literis nō vulgaribus decoratum, Patrem Enriquez. Gaudebis forsan inuenisse, quem pro tuo aliquali captu acriùs impugnes, vesaniusuè contemnas. Hæc enim verba illius sunt. [f] *Diui Thomæ doctrinā approbat vniuersaliter Vrbanus Papa V. & Stephanus Episcopus Parisiensis. Et nemo, absque hæresis suspicione generaliter dissentit à doctrina Diui Thomæ.* Ecce quomodo huius Præceptoris sapientia in tantum firma, ac inconcussa manet, quod ab ea recedere frequenter non contingit absq. hæresis nota, ne dicam falsitatis suspicione.

f P. Enriq. de Pontif. clau. lib. 41. cap. 15. n. 4.

Plures alias auctoritates omittimus, quia in limine controuersiæ eæ sufficiunt. Parumper figamus pedem; & aduersarios audiamus, proprio ipsorum iudicio, euidenter inferentes. *Ergo illi; & illi; & illi Sancti Thomæ impugnatores suspecti de veritate sunt. Sed illi; & illi; & illi amplissimam famam scientiæ, virtutis, & ingenij, omnium suffragio, consecuti sunt. Ergo concedere debemus, illos, & illos, & illos, quamuis communi ore laudatos, deq. Ecclesia Dei benemeritos, tradidiße doctrinas, & tradere, falsitatis suspicione notatas. hoc manifestissimum inconueniens est, ergo & illud, ex quo sequitur.*

Poterant etiam inferre. *Ergo illi, & illi impugnatores Sancti Augustini, adiutores sunt hæresis Pelagianæ.* atque etiam. *Ergo illi, & illi Sancti Augustini contradictores contemnunt manifestè plusquàm viginti Sanctissimos Ecclesiæ Pontifices, & Sedis Apostolicæ sunt iniuriatores singulares.*

Digitized by Google

Omnes istæ consequentiæ ad vtramque partem illatæ odiosissimæ sunt. Quia si nos volumus, illos, & illos, & illos, non propter aliud, nisi quia Thomisticam Scholam deseruerunt, suspectos de veritate esse, rem difficilem postulamus. E contra; si illi, & illi affirmauerint, elogium hoc Diui Thomæ, licet in Missalibus antiquissimis repertum, in Breuiarijs insertum, ab infinitisque Doctoribus comprobatum commentitium esse, æquè difficilem causam, imò difficiliorē eos agitare pro comperto est. Via itaq; aliqua, & rectus trames debet aperiri, vt vitemus ad vtrumque latus scopulos, pedeque tandem securo in pacis terminos conquiescamus.

Explicatur, in quo sensu oppugnantes D. Thomam sint de veritate suspecti.

TOtius disputationis cardo deuoluitur ad huius puncti difficultatem. Et in ea diluenda aliqui etiam ex aduersarijs laborarunt. Sunt enim qui dicāt, verba hæc hyperbolico sensu procedere. alij debere intelligi de oppugnatione vniuersaliter facta. alij nō nisi de contradictione aduersus dogmata recepta. Nec in his lato calamo referendis horam consumere, alicuius vtilitatis esse credidi.

Sapientissimus noster Magister Grauina in hoc dubio, ratione, & exemplo innixus, mentem suam per hæc verba declarat. [a] *Eam habet interpretationem tale dictum, sicut dicebat de Nazianzeno Rufinus: vt in his, quæ concernunt fidem, hæreticus habeatur, qui dictis Thomæ in Fide non concordet. in cæteris discordare posse ipse*

[a] Grauin. Cherub. Parad. libr. 4. c. 3. nu. 4.

Diuus

Diuus Thomas censet, cum opinabile sequendum esse, & permittat, & doceat. Hucusque Grauiniana interpretatio, cuius eruditioné laudo, coniūctam cum illo temperamento inferendi præiudicium nemini.

Sed valdè timeo, quod dum præsens interpretatio securitatem in dicendo quæsiuit, à laudibus D. Thomæ longissimè absuit. Fatemur libenter reperiri latitudinem in probabilibus ad amplectendum modos dicendi oppositos, cum ipse Doctor Sanctus docuerit expressis verbis, [b] quod *in his, quæ non pertinent ad Fidem, & bonos mores, auditores vtramque opinionem sequi possunt. tunc enim habet locum illud Apostoli: ad Roman. 14. Vnusquisque in suo sensu abundat.* Verùm, si cōtradicens in probabilibus iure contradicit: quid mirum incurrere falsitatis suspicionem, qui oppugnauerit certa? quia lineam probabilitatis quæ superāt certitudinis euidentiam attingunt. & nullus, cuicumque sententiæ terminos probabilitatis excedenti, certitudinemquè attingenti, potest contradicere, sine temeritatis, aut falsitatis pœna. Hoc verissimum, & communissimū est pro quolibet Scriptore, vel Doctore, vndè in alicuius laudem non satis accommodatum, pręsertim Diui Thomæ, exquisitissimis, & singularissimis laudibus plusquàm digni. Quapropter apud Lyricum Poetam inuenies scriptum, cum personam Augusti Cæsaris commendaret, excedere ipsius merita omnē à Senatu Romano laudem confingibilem.

[b] D. Tho. quodl. 3. q. 4. ar. 2.

[c] *Quæ cura Patrum, quæuè Quiritum*
Plenis honorum muneribus, tuas
Auguste virtutes, in æuum
Per titulos, memoresque fastos
Aeternet?

[c] Hor. lib. 4. Od. 14. carm.

Præ-

Prætereà inuenies de suo Ioue:

[d] *Vndè nihil maius generatur ipso,*
Nec viget quidquam simile, aut secundum.

d Idem lib. 1. carm. Od. 12.

Demum de se ipso

. . . *inuidia maior*
Vrbes relinquam.

Quæ omnes laudes singularissimæ sunt, in excedēdo virtutibus peritiam omnium Oratorum Romanorum ad laudandum. & in habendo inter omnia generabilia excellentiæ primatum, & in superando ipsam inuidiam. Itaque laudans D. Thomam, & asserens, impugnatores illius suspectos de veritate esse, rem magnam, non vulgarem dicere intendit. & quia non more Poetico, sed auctoritate Christiana loquitur, intendit etiam singularitatem cum veritate coniungere, quia [e] *sicut vera laus ornat, sic falsa castigat.* vel ineptus esset laudator, quod vllo modo non credimus.

e Sidon. Apol. lib. 8 epist. 10. & ibi not.

Præterquamquod, verba ista laudatoria generaliter præseferunt, contradictores omnes D. Thomæ falsitatis suspicionem incurrere. & ideo taxari non debent ad impugnantes aliquam doctrinæ partem, cum ex huiusmodi taxatione remaneat mutila, & diminuta laus aduersus Iurisperitorum regulam, quod verba generaliter dicta, sunt generaliter intelligēda, [f] præcipuè quando destructa generalitate, destruitur finis intentus per illam. quod accidit in præsenti, quia trāsfertur elogium singulare in aliquod dictum commune.

f l. 1. §. quod autē, ff. de aleat. l. de pretio, ff. de public. l. non aliter, ff. de legat. 3. l. si quando, ff. de legat. 1.

Ex quibus fundamentis, commendata hac interpretatione sub auctoritate sui Magistri, & ad aliam deueniendo. supponimus eo modo rectè præstari, si à magis proprio verborum sensu non recedimus. quia ver-

Digitized by Google

verba apud Interpretem in significatione propria accipienda sunt.[g] Quæ doctrina maiorẽ habet firmitatem, quando interpretatio fit, non de alicuius rustici sermone, sed de verbis prolatis à Principe, vtpotè loquente secundum perfectionem linguæ.

[g] l. 1. ad fin. ff. ad municip. l. quoties, ff. de verbor. signific.

Vndè aduertendum summoperè est, quod dupliciter potest quis se opponere Angelico Præceptori, cõtradictoriè, & cõtrariè. [h] *Oppositio contradictionis prima est, & maior inter alias. cuius rationem assignat Philosophus in lib. Post. dicens, quod contradictio est oppositio, cuius secundum se non est medium. Medium enim ostendit distantium conuenientiam, & ideò minuit rationem oppositionis. Cum igitur omnibus alijs oppositionibus sit inuenire medium, ideò omnes diminuunt de ratione oppositionis contradictoriæ*. Et propter rationem medij reperti inter opposita contrariè, accidit in falsitate conuenire. Contradictoriè verò se opponentes in nullo conueniunt, implicatque veritatem simul, vel falsitatem habere, quia omni conuenientia sublata, sunt ab inuicem se destruentes.

[h] D. Tho. opusc. 37. cap. 1.

Oppositionem ergo contradictoriam facit quis alicui Doctori, quando in doctrina ipsa refunditur formaliter oppositio tota, per negationem bonitatis ipsius, probabilitatis, vel affirmationem erroris, temeritatis, & aliorum huiusmodi, qui oppositionis modus est omninò destructiuus sui contrarij, nec potest in aliquo cum eo conuenire, vel compati.

Sed enim oppositio contraria multum se habet aliter. quia tunc contingit, quando circa eandem quæstionem dissidium opinantium versatur. & patet hanc non esse maiorem oppositionem, quàm contrariam, cum benè compatiatur, duas simul pugnantes opinio-

nio-

Digitized by Google

niones in re esse falsas, ex eo quòd veritas consistat in aliquo distinctionis medio hucusquè non inuento. Vel si medium non adest, & oppositio est contradictoria, procederet tunc formaliter contradictio ex parte rei affirmatæ, vel negatæ tantum, quæ est oppositio physica. non absolutè ex parte doctrinæ, quia vtraque doctrina per non attingentiam euidentem veritatis disputat probabiliter, cum formidine sui cõtrarij, bonaque existimatione de illo, vndè est, quod conueniunt in aliquo.

Dicimus ergo, qùòd elogium accusans impugnatores Diui Thomæ de suspicione veritatis, intelligitur, & de facto loquitur de impugnatoribus non modo contrario, sed contradictorio, taliter, quod eorum impugnatio in ipsa doctrina impugnata refundatur, condemnando bonitatem illius, & tendendo in destructionem eiusdem. & apparet hoc ex plurimis validissimis rationibus.

Sed in primis probatur, quòd elogij verba malè torqueantur, vt condemnent illam alteram impugnationem, quam vocamus contrariam. Quia horum verborum auctor manifestissimè intendit D. Thomæ doctrinam laudare, ergo non debemus laudationem accipere factam contra ipsam doctrinam. Siquidem huiusmodi sinistra interpretatione recepta, improbaretur illudmet, quod ex præcipua laudantis intentione veniebat approbandum, transiret in reprobationem approbatio, & aduersaretur menti, & fini ipsius approbatoris. Transiret (inquam) in reprobationem, quia secundum D. Thomam, in probabilibus habet locum illud Apostoli, [i] *Vnusquisque in suo sensu abũdat*, diximus supra, vbi in corpore articuli sequẽtia do-

[i] D.Tho. quodl. 3. q. 4. art. 10.

docet: [k] *Respondeo dicendum, quod diuersæ opiniones Doctorum sacræ Scripturæ, siquidem non pertinent ad Fidem, & bonos mores, absq. periculo audiuores vtramque opinionem sequi possunt.* Ergo si laudator iste, vel Orator, in tantum vult auditores suos D.Thomam sequi, quod nec in probabilibus, sine nota falsitatis, vel suspicione de veritate, pateat aditus ad dissensum, improbat doctrinam Angelicam, quantò magis eam approbare conatur. Quia S.Doctor in his, quæ non pertinent ad Fidem, & bonos mores, admittit inculpatum dissensum, laudator autem è contra accusat de veritatis suspicione dissentientes. Ergo laudationis actus, interpretatus ita sinistrè destruit semetipsum. Itaq. hæc interpretatio repugnat iuri, & rationi, quia secundum ius certum est, [l] debere nos facere talem interpretationem, quod actus valeat, & non reddatur frustraneus, vel odiosus, vel contra ipsius agentis, & operantis intentionem.

[k] D. Tho. quodl. 3. q. 4. ar. 10.

[l] l. quoties in stipul. ff. de verbor. oblig. Mascard. concl. 1255. n. 3.

Cæterum iste Orator modo suasorio procedebat, secundum regulas suæ artis, quibus necessitatur auditores suos sibi beneuolos facere, & Doctoris Angelici amantes, & orationi suæ non resistentes, iuxtà Horatianum illud:

[m] . . . . . *& prece blanda*
Ducere quo vellet, fuit hæc sapientia quondam.

Quod totum in præceps ruebat per affirmationē suspicionis de veritate, etiam in probabilibus. Quia omnes homines ita constituti à natura sumus, vt facilè inter nos dissidium oriatur. Cumque hoc ad conditionem pertineat humanam, non possumus negare, multoties cum fructu procedere. nec negauit Præceptor Angelicus, imò docuit, [n] *Nullo* (inquit) *modo me-*

[m] Horat. in art. Poet. vers. 395.

[n] D. Tho. vbi proximè.

melius, quàm contradicentibus resistendo aperitur veritas, & falsitas confutatur, secundum illud Salomonis, ferrum ferro acuitur.

Quare ergo pessimi Interpretes laudatorium isti sermonem trahimus in præiudicium Herois laudati, quia illius doctrinam sub tali sensu impugnat? in inscitiam etiam laudantis, quia regulas suadendi non seruat? & in irritationem audientium, quia ab ipsis aufert, quod concessit natura, vel indidit?

Demùm omitto, nos eliminare ab Ecclesia egregios diuersarum scholarum Magistros, si de medio arcemus facultatem eundi extra viam S. Thomæ. Et cum prædicti Magistri, & Doctores habeant pro se, & in sua linea, & gradu, quasi totius mundi suffragiũ. Maior est inconueniens, quàm vt propugnatione nostra indigeat. Itaque certissimum, & probatissimum apud omnes manere debet, huic Præceptoris Angelici elogio prædictum contrarietatis sensum posse nequaquam conuenire, imò penitùs dissonare.

Nunc ad alterum sensum deueniendo, diximus in eo consistere, quod impugnator subijcit doctrinam Angelicam suo proprio dicto, constituit se quasi Iudicem illius, & sententiam fert aduersus eam, his, vel similibus verbis, *doctrina hæc est improbabilis, est erronea, est inductiua vitiorum.* qui modus dicendi contradictoriam oppositionem cum prædicta doctrina habet, destruit illam totaliter, & in nullo cum ipsa cõuenit. Ex quo debemus notare quantum distet ab alia oppositione contraria, quæ opinatiuè procedendo, potiùs formidat, quàm despicit fundamenta opposita, compatiturq. cum bona existimatione de illis.

Vnum, & alterum apparet egregiè in exemplo no-

notisſimo, & ad propoſitum noſtrum aptisſimo decreti D.N.Gregorij XV. editi,præſente Sua Sanctitate, à Congregatione vniuerſalis Inquiſitionis die 24. Maij, anno ſalutis 1622. circa conceptionem Immaculatæ,purisſimæ,& ſanctisſimæ Virginis Mariæ. Cõfirmat antiqua decreta Summorum Põtificum Pij V. & Pauli V. circa prohibitionem prædicationis culpæ originalis.& poſtea ſubiungit: *Sub eiſdem cenſuris, & pœnis mandamus, quod negatiuam opinionem, videlicet, quod non fuit concepta cum peccato originali,in prædictis publicis actibus aſſerentes, aliam opinionem non impugnent.* Ecce decretum Pontificium Romæ editum, ab omnibus Tribunalibus recognitum, à nobiſq. Hiſpanis ſummoperè veneratum, & venerandum.

Interrogo primò. Quid Papa ſibi vult per illa ſignatisſima verba? *Sub eiſdem cenſuris, & pœnis aliam opinionem in prædictis publicis actibus non impugnent.* Quia ſi impugnare intelligimus,ſententias contrarias alicui Doctori probabiliter docere: iam non erit licitum ſuſtinere in publico libertatem peccati originalis in fauorem purisſimæ Virginis, quia aliqua ſubſiſtens opinio eſt affirmans probabiliter contractionẽ illius, & omnes impugnantes in publico huiuſmodi opinionem incurrunt cenſuram Gregorianam. Reſpondebis,& rectè, quod hæc argumentatio pluſquã fallax,& inefficax eſt, cum per illud complexum, *non impugnare*, nequaquàm intelligat Pontifex partem affirmantem præſeruationem totis viribus non defendere.quod & nos,euidentiſſimum eſſe dicimus. ſed inde ſequitur, benè cohærere inter ſe approbare aliquam ſententiam ex vno extremo,& ex alio extremo ſtatuere pœnam incurrendam ab oppugnantibus ſẽ-

tentiam oppositam. quod est separare actum approbationis,& sequelæ vnius opinionis ab impugnatione suæ contrariæ, ex motiuo non præiudicandi. Verba sunt Pontificis in eodem decreto: *Sanctitas Sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec vllum prorsus præiudicium inferre, relinquens in eodem statu, & terminis, in quibus de præsenti reperitur.* itaque interrogo secundò

Quæ perplexitas est hæc? pro vna parte prædicare,& cõclamare laudabiliter præseruationem ab originali, & pro alia parte sententiam excommunicationis ferre contra impugnantes opinionem contractionis eiusdem? certè nulla perplexitas est. imò magna diuersitas inter cuiuslibet opinionis assertionem, & prolationem iudicij improbatiui de opinione opposita,quod propriè impugnare est. manenteque hac diuersitate,voluit Pontifex, quod vna pars prædicetur,& alteri parti damnum non sequatur, quia illud primum,quod est alteram partem prædicare, compatitur cum exemptione omnis præiudicij,non tamen illud secundum, quod est impugnare proferendo sententiam condemnatoriam fundamenti, vel ponderis, vel probabilitatis sententiæ aduersæ.Et ratio est,quia asserere, hanc, vel illam opinionem esse improbabilẽ, non fit, nisi per oppugnationem contradictoriam cum ipsa. quæ oppugnatio destruit totum suum oppositum,& in nihilo conuenit cum eo.De hacque impugnatione loquitur decernendo Papa:*Sub eisdem cẽsuris, in prædictis publicis actibus, aliam opinionem non impugnent.*Qui sensus,ni fallor,innegabilis est.cum acclamationem,laudationem,prędicationem vnius partis admittendo, & prohibendo impugnationem alte-

rius

rius partis, doceat apertè Pontifex Romanus, quod per acclamationem, laudationem, prædicationem, altera opinio opposita ad prædicatam, laudatam, acclamatam, nequaquam impugnatur.

Quo supposito, applicamus totam doctrinam ad casum nostrum, & inhærendo eidem proprietati Gregorianæ locutionis, defendimus, quòd impugnantes doctrinam D. Thomæ, suspecti de veritate sunt: quia non intelligimus plaudentes, docentes, prædicantes opiniones contrarias probabiliter, sed contradictorio modo se habentes. hoc est censurantes, & sententiantes Angelicam doctrinam de improbabilitate, de errore, de inductione vitiorum, de relaxatione virtutis, & similibus: ideòque eligat vnusquisque sententiam, quam voluerit, ex vniuersis scriptis D. Thomæ, si eam esse improbabilem dixerit, veritatis suspicionem incurrit. Siquidem hoc propriè significat aliquid impugnare, se habere contradictoriè ad illud: quia cum verbum, *impugnare*, analogum sit ad plures impugnationis species, debemus facere interpretationem, non per improprietatem vocis inductiuam plurium absurdorum, sed in sensu rigoroso, formali, proprio, hoc est contradictorio, in quo omnia benè concordant.

Qua explicatione retenta, fulcire eam debemus rationibus, & auctoritatibus, vt nemo ° *sine ira, & studio, quorum causas procul habeo,* ab hoc modo dicendi elongare se præsumat. Doctrina igitur D. Thomæ, si in diuersas classes diuidatur, duplici tantum partitione diuidenda est. In prima collocabimus omnia, quæ sunt euidenter tradita. In secunda topica, & probabilia. Classis prima, ratione euidentiæ apparet, quod impugnari contradictoriè non potest, sine falsitate

° Tacit. annal. 1.

cer-

certa,& euidenti:quia negare euidentiam rei euidentis,non contingit sine falsitate negantis:itaque de cõtradicentibus doctrinam huius primæ classis,rationabiliter absq; omni dubio asserimus, suspectos de veritate esse.Circa secundæ classis impugnationem notandum est,quòd ipsa doctrina opinabilis, licet non attingat veritatem euidenter, attingere probabiliter, euidens est:quare de omni doctrina topica, & opinatiua verificatur propositio hæc: *Hanc doctrinam opinabiliter procedere est euidens.* Vnde negantes, media oppositione contradictoria, huiusmodi probabilitatem, negant rem euidentem, quam negare sine suspicione de veritate non possunt.

Totus iste discursus legitimus est. Sed dices,non rectè distribuere nos doctrinam D. Thomæ in duplici classe opinatiui,& scientifici,cum restet alia, in qua errores collocantur, quos nonnulli de doctrina Præceptoris Sancti notarunt. Pulchrum responsum. Sed audiamus Sanctissimum Dominum Clemẽtem VIII. dum inquit: p *Ac doctrinæ quidẽ testis est ingens librorum numerus, quos ille breuissimo tempore,in omni ferè disciplinarum genere, singulari ordine, ac mira perspicuitate,sine vllo prorsus errore conscripsit.* Ecce Papam affirmantem,D.Thomam scripsisse suorum librorum multitudinem sine aliquo prorsus errore. Tu autem sustines, quòd præter doctrinas collocatas in lineis opinatiua,& scientifica,restat alia series continens errores D.Thomæ. Ergo tua hæc assertio ex diametro pugnat cum Pontificis dicto. Vt quid miraris te de veritate suspectum: si nec vales contradicere euidentibus,quia euidentia sunt: nec probabilibus, quia euidens est probabilitatem habere: nec erroneis, quia

p Bull. Clem. VIII. ad Ciuit. Neap. eã inuenies apud Bzouium anno 1322.

quia Papa declarat nullum errorem adesse, & tamen contradicis?

Roboratur vlterius nostra interpretatio, ostendẽdo, illam esse conformem placitis S.Thomæ, aliorumq; Doctorum, pacato animo sufferentium, quòd illis ab aliquo per opinionem contrarietur, respuendo tamẽ, quòd contradicatur. Et exemplum est obuium apud ipsum Magistrum Angelicum, docentem, quòd [q] *nihil prohibet, aliquos charitatem habentes, in opinabilibus dissentire, quia opiniones pertinẽt ad intellectum, qui præcedit appetitum, qui per pacem vnitur.* Sed illud alterum de impugnatione contradictoria solet commouere animos quantumuis humillimos virorum sanctissimorum, vt per sequentia verba ipsius D.Thomæ liquidò comprobatur: [r] *Si quis autem* (inquit) *contradicere voluerit, non coram pueris garriat, sed scribat, & scripturam proponat in publico, vt ab intelligentibus dijudicari possit, quod verum sit, & quod erroneum auctoritate veritatis confutetur.* Nemo negabit, modum talem loquendi à pectore rationabiliter indignato processisse, & certè processit: quia in puncto doctrinæ illi ab aduersarijs contradicebatur, vt patet ibi, *contradicere voluerit,* & etiam ibi, *Dijudicari possit quod verum sit, & quod erroneum.* cum veri, & erronei oppositio habeat hoc ex sua natura, non reperiri, nisi in dissidio oppugnationis contradictoriæ. Vnde notamus formalitatem loquendi Doctoris sancti. Primò exprimit contradictionem. Secundò illius extrema proponit, scilicet, verum, & erroneum. Tertiò, & vltimò oppugnantes eum contradictoriè, vt debitè corrigeret, garrulos nominauit. Nec pro hac parte plures auctoritates congerere necessarium puto: sed quia Illustrissimus literis,

[q] D. Tho. 2. 2. q. 29. art. 3.

[r] D. Tho. opusc. 19. cap. 10.

ac virtute Episcopus Barbastrensis suum verum, & proprium sensum admodum magistraliter declarauit, piaculum credidi, aureum sermonem eius subticere: [f] *Censurando* (inquit) *hoc opus meorum librorum, dico primò, habere bonitatem doctrinæ: quia doctrina, quæ traditur à nobis, & sequitur, conformat se cum fide Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et quantum ad hoc, fateor ingenuè me non admissurum censuram oppositam, cum Diuus Athanasius referat, Sanctum Antonium asseruisse, quod licet homo probus, & humilis debeat iniuriam sibi factam patienter portare, non ideò sufferre impugnantes doctrinam suã, quasi à doctrina Ecclesiæ deficientem: nec huiusmodi sufferentia ad virtutem humilitatis pertinere, potiùs prouenire ex non recto modo iudicandi munus, & officium viri catholici.* Ex quo patet, quòd impugnare quemlibet Doctorem intra metas probabilitatis à Sanctorum, & Thomistarum schola non est alienum. Verùm contradictoriè procedere acerbam meretur reprehensionem. Et pro nunc omitto, quod in diffidijs etiam opinabilibus admodum difficulter, vel nunquam debemus discedere à Sanctorum placitis: quia diuinitùs magis illustrati, magis de Deo cognoscentes, magis à fidelibus recepti, magis in veritatibus fundati, & cum ad instar columnarum Ecclesiæ se habeant, est causa propria Dei defendere doctrinas Sanctorum suorum. De hoc autem inferius loquemur.

[f] Episcop. Lanuza tom. 1. hom. in censl. §. 3.

Nunc desiderium est mihi, ex sua intima radice eruendi veram, & legitimam causam huius nostræ interpretationis: nec alio meliori modo hoc consequar, quàm diligenter inquirendo, à quo principio moueãtur Pontifices, vt ita laudibus exquisitissimis D. Thomam prædicent, Nam illudmet mouens ad laudandum

dum Thomisticam doctrinam, aperit viam ad intelligendum non reprobare Papas oppugnatores contrarios, sed contradictorios. Pontifex ergo Summus vt Christi Vicarius, nec Thomista, nec Scotista est; vtrique scholæ, vel cuilibet alteri comparatur vt Magister, vt Præsidés, vt Princeps, vt Regula. Et licet verum sit, eum semper optare studiosos fideles, de quibus tanquam de filijs sibi charissimis curam gerit, dare operam securiori, & solidiori doctrinæ: non tamen etiam vt huiusmodi, opus erat miris modis laudare Thomisticam: quia cum aliæ doctrinę probabiles prę ter eam in Papæ sinu foueantur, vel videretur illis libellum de repudio conscribere, vel in earum lucubratione vigilantibus latés improperiū inferre, quod longissimè distat à visceribus Domini. Laus Pontificia ita repetita, ita magna, ita multiplex, ita temporibus omnibus continuata, & non ab vno Papa, vt postea videbimus, sed à plurimis descendens, aliquem maiorem finem intendit circa bonum Ecclesiæ, quàm præponere in opinabilibus hanc doctrinam cuilibet alteri.

Christi Vicarius in Ecclesia Dei habet proprium munus dirigendi omnes homines in vitam æternam, & ideò perquàm maximè curat proponere hominibus instrumenta proportionata ad hunc finem obtinendum, resistereque impedimentis omnibus consecutionem retardantibus: quia tota hæc actio ordinatiua integratur ex duobus; vnum, quod est dirigere, alterum, quod est prohibere omnia impedientia directionem. Doctrina autem computatur inter ea, quæ conducunt ad vitam æternam: nam ipsa mediante, intelligimus quid credere, & orare, & operari conue-

Digitized by Google

nit. Vndè pluries, ex zelo Dei, & affettuosè laudare, nihil aliud est, quàm proponere nobis illam per modum lucis illuminantis viam vitæ æternæ. Ecce intentum Pontificis. Et testatur de illo Sanctissimus Pontifex Pius Papa V. laudans Diuum Thomam his verbis: [t] *Certissima Christiana regula doctrina, qua Sãctus Doctor Apostolicam Ecclesiam infinitis confutatis erroribus illustrauit.* Itaque in proposito nostro, impugnare doctrinam, significat destruere eam, quatenus à Papa proponitur, vt instrumentum directiuum nostræ salutis; quia in eo sensu proponitur à Papa, in quo defenditur, & defenditur, secundum quod proponitur, non aliàs. Cum autem constet, omnes impugnantes probabiliter, nullam facere destructionem doctrinæ, potius cum formidine, & bona existimatione de ea multiplicant vias securas eundi in prædictum finem, in quem, probabiliter procedendo, benè ordinati sũt: indè est, quod huiusmodi oppugnatores nullatenus à Pontificibus reprehendantur, sed in sensu formali intelligenda reprehensio sit contra impugnantes contradictoriè, vtpotè destruentes directionis, & ordinationis rationem à Pontificibus propositam, & intentam.

[t] In Bull. Doctorat. S. Tho. an. 1567. apud Cherub. to. 3. bull. 26.

Transeunter autem notamus, quod si hæc ratio aliquid valet, & in aliquo aduersarijs fauet, poterunt tamen iuxta eam coniecturare faciliter, quantùm distet doctrina Thomistica ab alijs doctrinis, in dirigendo homines ad gloriam, si perpenderint, quanto cum excessu ad reliquas Scholas sapientia Diui Thomæ à Pontificibus honorata refulget. Nam si æquè acceptæ Pontificibus sunt cæteræ Scholæ, quare æquè non laudantur? Si excellentiores sunt, quare minus

nobi-

Digitized by Google

nobilis vindicat ſibi laudationis cumulum? Quomodo voluerint cogitent aduerſarij, & ſecundum ſuam conſcientiam conſiderent, ſi quando ipſi laudant ex corde vnum frequentiſſimè, & alterum raro, videntes conducere illud vtrumque ad conſecutionem finis deſiderati à ſe, faciant ita, quia hæc duo laudata, ſibi videantur æquè bona, ad prædictum finem obtinendum. Quæ conſideratio in perſona Pontificum magis vrgens eſt, vtpotè per leges ſcientiū, quod quis [u] *ratione maioritatis, & honoris, meruit laudem de bonis operibus, ſeù beneficijs in Republica exhibitis, & impenſis, colaudanduſque eſt publicis vocibus, ne per ſilentium, bonum quod fecit, videatur incognitum.*

[u] Caſſan. in catal. glor. mun. par. 1. conſ. 33. ex tr. in l. vni. C. de quæſt. & mag. lib. 11.

Sed ad propoſitum noſtrum reuertendo, nouum, vel irrationabile non iudices, contradictoriam oppoſitionem tantam malignitatem habere. Quia Doctori Eccleſiæ contradicere affirmando improbabilitatem ſuæ doctrinæ, vel errorem, vel quid ſimile, eſt proprius ſpiritus, ſignataque conditio hæreticorum omnium. Audi Eraſmum blaſphemantem, quod [x] *expedit ſæpenumero commiſſum aliquod, ceù cicatricem in Sanctis agnoſcere.* Iterum eundem audi contra Fratres Auguſtinianos. & Dominicanos. [y] *Prædicator* (inquit) *non patitur quidquam conuelli ex Thomæ placitis. Auguſtinianus non patitur ab Auguſtino diſſentire.* Et poſteà concludit: *nullius auctoritati debet addictus eſſe, qui veritatis agit negotium.* Audi etiam Lutherum de Extra uagante Clementis Pontificis affirmantem, ex alio non conſtare, niſi [z] *ex opinionibus Thomæ inſulſiſsimis.* Tandem audi eundem Lutherum in libello illo prorſus ſuo contra Regem Enricum Angliæ, tantum inuenies audaciſſimam impugnationem contradictoriam

[x] Inter blaſphemias Eraſmi apud Lopez de Stuniga impreſſ. Romæ an. 1522. Locus Eraſmi in vita Hieronym.

[y] Apud eundem Stunigam, & eſt locus Eraſmi ſup. illud Luc. 2. tuam ipſius animam.

[z] Luther. art. 17.

aduersus Diuum Thomam, quasi argumentum inscitiæ nostræ sit, ita vniuersaliter vestigijs Sancti Doctoris inhærere. Sed tamen nos, quia in omnibus habemus Magistrum Sanctum Augustinum, ab eo didicimus, propter humanæ auctoritatis fragilitatem, & intellectus nostri facilitatem in æquiuocando se rerum similitudinibus, aliquem Præceptorem ab Ecclesia approuatum assumere, doctrinæ cuius inflexibiliter inhærendo, difficillimum omninò sit, extra veritatis tramitē errantes incedere. [a] *Humana auctoritas* (inquit Augustinus) *plerumque fallit. In eis tamen in re videtur excellere, qui quantum imperitorum sensus capit, multa dant indicia doctrinarum suarum, & non viuunt aliter, quàm viuendum esse præcipiunt. Quibus si aliqua etiam fortunæ munera accesserint, quorum appareant vsu magni, difficillimum omninò est, vt eis quisque viuendi præcepta dantibus credens rectè vituperetur.* Quod ergo difficillimum Augustinus asserit, nequaquam credimus à præsumptuosis hominibus faciliter obtineri. In his potius, & in illis *humana auctoritas, plerumquè fallit*: E contra Diuus Thomas *apparet vsu magnus. nec aliter vixit, quàm viuendum esse præcepit. & multa dat indicia doctrinarum suarum.* Defensaturque à Pontificibus in hac parte oppositionis contradictoriæ, quia *difficillimum omninò est*, vt Diuo Thomæ *viuendi præcepta danti credens rectè vituperetur.*

[a] S. August. lib. 2. de ordin.

Quibus animaduersis, negare non possumus, quod Pontifices in doctrinarum laudibus se habent, vt dirigentes fidelium animas, & vt zelantes, ne sua hæc directio, & ordinatio ab insidiosis hominibus retardetur. Nosque retardari, vel perturbari affirmamus à quolibet asserente doctrinam Diui Thomæ improba-

bilem

Digitized by Google

bilem esse, erroneam, vitiorum inductiuam, vel virtutum retardatiuam in aliquo. Quia asserens iste, aut hæreticus est, aut cum hæreticis conuenit: improbat quod Papa approbauit de bono communi Ecclesiæ sollicitus, & periculosissimam, & suspiciosissimam viam ingreditur. Si Catholicus est, quare loquitur cum Luthero? Erat illi opus ad suam opinionem fulciendam, Sanctum Thomam de improbabilitate condemnare? Qualis spiritus potest esse, non quietari secum, etiam si benè dicat, nisi Sanctus Thomas dicat malè? Vult aliam viam aperire eundi in cœlum, præter illam, qua itinerati sunt viri sanctissimi, & doctissimi, qui sunt in cœlo? iudicat se doctiorem illis? vbi est in tota lege Euangelica præceptum, vel consilium constringens eum, vt prædicet, in hoc errat iste Doctor sanctus? Didicit facere hoc à Summis Pontificibus, laudibus summis Diuo Thomæ plaudentibus: vel didicit à filijs diaboli aduersus eum cumulata improperia vibrantibus? Si nos Catholici Sanctos errare asserimus, quomodo auctoritate eorum aduersus hæreticos Ecclesiam defensabimus? Qualis est ille fructus, qui repræsentatur in messem, media ista reprobatione Sanctorum, nisi fructus procedens ex superseminata zizania ab inimico homine superueniẽte? seminauit fortè Deus, quod sumus sapiẽtiores Patribus nostris, doctioresq. Magistris?

Certissimum ergo debet esse in suspicionem falsitatis deuenire, quisquis contradictorio modo (vt aliqui hac nostra corruptissima ætate fecerunt) Angelico Magistro se opposuerit. [b] Quia obuiat directioni factæ à Papa fidelium in finem: ingreditur viã hæ.

b Apud M. F. Io. à Sancto Thoma in præliminari trac. ad 1. par. & apud Grauin. per tot. Cherub. Parad. etiam in Memorial. ad iud. veritat. impres. Barcinon. ann. 1626.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

hæreticorum, saltem per similitudinem sermonis, nec obseruat aliquam ex approbatis scholis, cum ab omnium earum institutis reprobatio Sanctorum Patrum alienissima esse debeat. Et de hac oppositione contradictoria elogium præsens, à Papaque prolatum debet accipi: quia, vt ex dictis patet, eius naturæ est talis oppositio, quod non solùm doctrinæ approbatæ, sed simul actui approbatoris, & fini eiusdem principaliori repugnet.

Verùm enimuero ratio hæc intimè considerata aliquid aliud infert in præsenti non omittendum: quia tota eius vis consistit in eo, quod quando Papa laudat doctrinam D. Thomæ, per modum directoris se habet, & reprehendendo impugnantes eam, reprehendit formaliter, quatenus ab impugnationibus huiusmodi præiudicatur sua directio. Itaque reprehendit, & laudat ex vnico motiuo formalissimo dirigendi fideles in gloriam. Sed vt videamus alterum illud ex hoc principio consecutum, recapitulare conuenit discursum factum intra metas sequentis argumenationis.

Quidquid eiusdem naturæ est cum alio non potest fundare, nisi eundem modum intelligibilitatis, & cognoscibilitatis cum illo alio, secundum quod in aliqua natura conueniunt, & in ea sunt vnum. Sed duo actus procedentes à Papa sub eodem contextu sermonis, primus laudatorius alicuius doctrinæ, secundus declaratiuus suspicionis de veritate aduersus oppugnantes talem doctrinam, sunt actus conuenientes in natura directionis, & ordinationis fidelium in finem, quatenus Papa in omni doctrinarum approbatione, & reprobatione exercet munus directoris, &

qua-

Digitized by Google

quatenus ad idem principium pertinet veritatem tradere, & traditam defenſare. Ergo prædicti duo actus ſub eodem tenore cognoſcibilitatis, & interpretationis accipiendi ſunt taliter, quod primus actus ponat doctrinæ bonitatem in dirigendo, & ſecundus actus defendat quidquid ponitur per primum.

Aliquid aliud, inquam, ex hac ratione infertur. Quia proponere directiuum aliquod, & ordinatiuum noſtræ ſalutis, idquè defendere ab impugnantibus in ratione directiui, & ordinatiui, comprehendit vniuerſalem defenſionem à quibuſcumq. præiudicium inferentibus ordinationi, & directioni prædictæ, vt ſatis conſtat. Sed ſic eſt, quod talis directio, & ordinatio præiudicium patitur pluribus vijs, & modis. Ergo omnes iſtæ viæ, & modi præiudicandi reprobantur à ſũmo directore, & ordinatore. Diſcurſus legitimus videtur, & minor præmiſſa ſubſumpta probatur.

Nam primam viã præiudicandi ingrediuntur omnes aſſerentes errorem, vel improbabilitatem de doctrina tradita vt inſtrumento directionis. Secundam viam omnes opinantes improbabiliter, vel probabilitate periculoſa; aut vitiorum allicitiua, cõtra D. Thomam. Quia doctrinis his malè ſecuris interuenientibus, deſtruitur conſecutio vltimi finis à Pontificibus intenti, mediante doctrina ſana. Et forſan deſtruitur maiori ruina, quàm per oppoſitionem contradictoriam, quia ab hoc protinus cauemus; opiniones verò iſtæ ſub probabilitatis tegmine, ſub conſolationis animarum prætextu, ſub colore non deſperãdi homines, maximam vaſtationem fecerunt, & faciunt in Dei Eccleſia tota.

Nec nobis animus eſt opprobrium alicui irroga-

re,

Digitized by Google

re, [c] *Cum id præcipuum virtutis, ac virium argumentum apud probos sit, quod vt superiores agant, non per iniurias aßequuntur*. Sed quia de Thomistis nonnulli obmurmurant, opinionibus alienis minus fauentes esse, hoc illis manifestissimum attestamur, respuere nos eas tantum opiniones, quæ in morum corruptelam sub probabilitatis larua contéguntur, illasq. admittere, quæ solidis innixæ fundamentis, à communi peritorum consensu non distant; didicimus enim à Præceptore nostro, præsertim in rebus moralibus, omnem aufugere nouitatem: cum ipse, licet superna sapientia illuminatus, doctrinas Sanctorum Patrum, quas sequi posset, aliquando non inueniens, suum proprium sensum subticuit: [d] *Alia tamen plura sunt* (inquit) *quibus se homo debet ab hoc subtrahere reuerenter, quæ explicare non audeo, quia à Sanctis, & Doctoribus ipsa expressa non reperij, atque illustratione gratiæ Dei securius relinquenda decreui.* Hodie autem non pauci rem grandem sibi facere videntur, si extrema, & nouiter inuenta in lucem protulerint. Laudamus nos etiam omne cum probabilitate dictum quoquo modo, aut inuentum. Sed ab huiusmodi via retrahimus pedem, quia [e] *temporibus nostris audiuimus* (inquit Diuus Thomas) *multas controuersias inter Doctores, non solùm in naturalibus quæstionibus, verùm etiam in moralibus, in quibus periculum est diuersa sentire,* quantumuis experientia aliquoties conmõstrauerit, quod [f] *multis afflicta fides in pace, ac tũrbatis rebus alacres, & per incerta tutissimi.*

Concludimus itaque, elogium Doctoris sancti prædicare suspectos de veritate omnes eos, qui Angelicam doctrinam impugnant contradictoriè, & etiã con-

c Tacit. mor. German.

d D. Th. opusc. 64. vtrum prop. polut.

e D. Tho. opusc. 73

f Tacit. histor. 1.

Digitized by Google

contrariè, si tradunt opiniones improbabiles; quia modus disputandi tunc, licet contrarius quoad apparentiam, refunditur substantialiter in modo contradictorio, quatenus ordinatio, & directio Pōtificis æquè impeditur.

Nec in hac parte inuenio aliquid magis, pro doctrina Thomistica, rationabiliter excogitandum. Cum materiæ topicæ amplissimæ sint, & intendere probabilitates oppositas auferre, sit auferre topica, & probabilia, quæ ex sua natura ad vtramque partem se habent. Vel si ea non auferimus, & in rigorosiori sensu elogium explicamus, erit necessarium dicere, omnes opiniones præter nostras pati infirmitatem de suspicione veritatis, quod impossibile videtur, saltem quia aliquæ opiniones, oppositæ inter se, æquè probabiles sunt, & quantumuis nostra sit probabilior, nō propterea descendit contraria vsque ad infimum gradum probabilitatis, taliter quod in suspicionem de veritate perueniat. Itaque restat solum, quod reprehendantur impugnantes modo contradictorio, & etiā contrario, si improbabiliter, vel periculosè, vel cum allicientia vitiorum, aut retardatione virtutum impugnauerint, non aliter.

Confirmatur iste totus discursus exemplo satis apto, ex defensione facta à Pontificibus in fauorem Sancti Augustini deprompto, de qua defensione memoratur S. Remigius per hæc verba: [g] *Hunc igitur beatissimum, ac fidelissimum Patrem Augustinum sēper in communione Sedis Apostolicæ habitum, & ab eius etiam Pontificibus inter Magistros Fidei doctrinæ venerabiliter receptum, & ab ipsis tàm clarè, & honorificè contra obtrectantes, & eloquentes defensum, ita vt imposito*

[g] S. Remig. libr. 1. cap. 9. de tenend. verit. script.

D *im-*

improbis silentio, omnem de eo mussitationem comprimendam, ac repellendam indicarunt. Hucusque Remigius. Interrogo nunc, an istud silentium impositum non solùm obtrectantibus, sed etiam eloquentibus contra doctrinam S. Augustini, intelligatur de impugnatoribus Augustini, quatenus defendunt opinionem probabilem? Quia iam homines præsumunt de se ipsis posse aliqua tradere, etiam aduersus istum Solem fulgentissimum Ecclesiæ, celeberrima probabilitate: Itaque hoc ab eis admisso, dicant mihi, qui sunt, & vbi sunt reliqui impugnantes Augustinum, præter discedentes ab eo probabiliter? Alios non inuenient, nisi oppugnantes contradictoriè, vel sub probabilitatis velamine; cum nec aliæ species oppositionis sint, nec etiam si adsint, similem à Papa obiurgationem portare valuerint. Quapropter de his accipiuntur, & interpretantur Pontifices apud S. Remigium, licet ipse non declaret; siquidem nulli alij reprehensibiles existunt, cum nulli alij opponantur actui directiuo Pontificis, & fini eiusdem. Quo supposito, nescio in fauorē Diui Thomæ Doctoris eminentissimi, quare eandem interpretationem respuimus, nisi quia laus, fama, plausus, [k] *gloria ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio.*

[k] Tacit. Agricol.

Prætereà si perpendimus, quam excellentiam, vel prærogatiuam exprimat hoc elogium comparatione facta cum reliquis à Summis Pontificibus prolatis, inueniemus aliquid vltra non continere, quàm expressiùs declarare, quod in aliorum virtute, & potestate clauditur. Ad quam veritatem ostendendam, ne plura conculcemus, Vrbani V. Pontificis verba Tolo-

sa-

ſanæ Vniuerſitati conſcripta ponderabimus: *Tenore* (inquit) *præſentium vobis iniungimus, vt dicti Beati Thomæ doctrinam tanquam veridicam, & catholicam ſectemini, eamque ſtudeatis totis viribus ampliare.* Ex quibus verbis ſi legitimè infertur, *ergo qui Diuo Thomæ contradicit, ſuſpectus eſt de veritate*, concedenda erit diſtinctio vnius elogij ab altero penès explicitum, & implicitum præcisè, non penès virtutem, & pondus ſubſtantiale vnius, & alterius. Bonitas autem conſequentiæ prædictæ apparet ex authoritate Hieronymi, qui Doctor ſanctus cum ſcripta ſua ſuper Symbolum Fidei mitteret Pontifici Damaſo, humiliter petit ab eo errorum ſuorum correctionem: ſed ſi approbationem, non emendationem eius ſcriptura mereatur, ſtatim doctrinaliter infert imperitiam, vel malitiam, vel hæreſim aduerſus omnes impugnātes eam, quorum trium quodlibet ſuperius ſe habet ad ſuſpicionem de veritate. Nec præſumptibile eſt contra inſignem Diui Hieronymi modeſtiam petiiſſe à Pontifice approbationem illam, media qua tranſirent ſcripta ſua in vim textus canonici, ſed tantum poſtulaſſe, aut deſideraſſe ad ſummum confirmationem ſimilem huic factæ à Pontifice Vrbano in fauorem Diui Thomæ, quæ ſuperat Doctoris particularis authoritatem, & nunquam peruenit ad authoritatem canonicam, cuius tamen fundamento poſſet ipſe inferre rigidam cenſuram ignorantiæ, aut malitiæ, aut hæreſis contra impugnantes doctrinam ſuam: quia cenſura huiuſmodi in viſceribus Papalis approbationis neceſſariò clauditur. Verba S. Hieronymi ita ſe habent: [i] *Hæc, Papa Beatiſſime, eſt fides, quam in catholica didiſcimus Eccleſia, in qua ſi minus peritè, aut pa-*

In Tab. Aur. oper. D. Thom.

i D. Hieronym. in exp. Symb ad Damaſ. & apud D. Thom. 2.2. q. 11. ar. 2. ad 3.

Digitized by Google

rum cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à Te, qui Petri Fidem, ac Sedem tenes. Sin autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum, vel maleuolum, vel etiã non catholicum, non me hæreticum comprobabit. Vbi apparet, quod inter approbationem Pontificiam, & reprobationem impugnantium Diui Hieronymi doctrinam, vllum medium non datur. Sed sic est, quod Vrbanus Papa studiosis iniungit sectari doctrinam Thomisticam tanquam veridicam, & catholicam: ergo inter approbationem istam, & obiurgationem impugnantium Doctorem Angelicum, nullum datur medium: quia quidquid censura castigat, Papalis approbatio continet.

Vlterius S. Hieronymus reprehendit impugnantes se, vt insipientes, aut malignos, aut hæreticos: elogiũ præsens tantum vt suspectos de veritate: ergo procedendo cum Hieronymo circa similitudinem obiurgationis factæ, in hoc solum deficit, quod mitiori manu impegit flagellum.

Ratio hæc, & etiam immediata præcedens innituntur Pontificijs approbationibus, quamuis sub diuerso sensu. Vna assumens Pontificum approbationes quatenus proponunt D. Thomæ doctrinam in ratione instrumenti directiui. Alia quatenus imbibunt reprehensionem aduersus oppugnantes. Quare vtraque ratio exigit, quod proferamus in medium testimonia celebriora disciplinæ Angelicæ, quorum virtute videat quis ad oculum tàm magna, & præclara elogia non posse fide bona accipi, nisi vt intendentia hominum salutem media hac doctrina, & iugiter vt castigantia aduersarios eius, vtpotè ipsis oblatum tale

bo-

Digitized by Google

bonum, & propter ipsos à summo Ordinatore laudatum, respuentes.

Primus igitur comprobator doctrinæ Diui Thomæ est Iesus Christus Dominus noster, cuius veneranda imago, è crucis ligno pendens, verba illa honoris, & consolationis plena, à Clemente Papa fideliter attestata pronunciauit. [k] *Piè, prudenterque cogitatis* (inquit Pontifex ad ciuitatem Nepolitanam) *de nouo Ciuitati Patrono adsciscendo ciue vestro, diuinæ voluntatis Angelico interprete, vitæ sanctitate, & miraculis claro Thoma Aquinate, cuius doctrinæ tantum fuit tributum, vt Christianæ eruditionis suæ diuinum etiam illud habeat testimonium: Bene de me Thoma scripsisti.* Quæ imago Christi Domini antiquissimæ picturę, deuotissimęque, collitur reuerentia maxima in nostro Regali Conuētu Sancti Dominici de Neapoli, in Cappella propria satis illustri, vbi eam adoraui pluries, & gaudio perfusus vidi.

[k] Clem. VIII. Romæ apud S. Petr. die 22. Nou. ann. 1603. Pōt. sui 12. inuenies in actis cap. nostr. gener. ann. 1612. Romæ sub Seraph. Sico.

Secundus Prædicator, & laudator sapientiæ Diui Thomæ Maria virgo immaculata est. ita refertur in Breuiario Monastico Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Cassinensis per hæc verba: [l] *Beatissima Mater Dei Maria ei apparuit, & ipsum de suæ vitæ, & scientiæ integritate certificauit. addiditque, quod quidquid deliberatè per ipsum à Deo petiuerat impetrasset.*

[l] Breu. Benedict. impress. Venetiæ ann. 1586. in Bibliot. Emin. Cardinal. Francisci Barberini.

Tertio excellentiam huius doctrinæ attestantur insigniores Apostoli Iesu Christi Diuus Petrus, & Diuus Paulus. De cuius attestatione facit fidem indubitatam Sanctissimus Papa Clemens VIII. in Superioribus iam citatus. Sed ne per partes distrahamus tanti Pontificis approbationem, integram illam huic loco attexendā transcribimus. [m] *Hic siquidem honor eius* vir-

[m] Clemens VIII. ad Ciuit. Neap. inuenies apud Episcop. Neap. 4. p. hist. lib. 4. Bzouio an. 1323. nu. 26.

virtutibus cum admirabili doctrina coniunctis iure optimo debetur. ac doctrinæ quidem testis est ingens librorum numerus, quos ille breuissimo tempore, in omni ferè disciplinarum genere, singulari ordine, ac mira perspicuitate, sine vllo prorsus errore conscripsit. in quibus conscribendis, interdum Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum colloquẽtes, locosque ei quosdam Dei iussu enarrantes habuit, & quos deindè conscriptos expressa Domini voce comprobatos audiuit.

Quartus laudibus celebrans Diui Thomæ sapientiam est Pontifex Ioannes XXII. in Bulla canonizationis eiusdem Doctoris Sancti, dum inquit. [n] *Vt illud psalmi, rigans montes de Superioribus suis, de fructu operum suorum satiabitur terra in eo verissimè impleretur.* Et paulò infra. *Nec non in sacræ Scripturæ paginam, tàm super Nouum, quàm vetus Testamentum scripta, plurimaque alia Dei opera in Dei laudem, Fideique dilatationem, non absque speciali Dei infusione perfecit.*

[n] Io. XXII. Auinioni 15. Kal. Aug. sui Pontif. ann. 7. inuenies inter priuileg. ord. nostri.

Quinto loco connumerandus venit Vrbanus Papa V. in Bulla de Sancti Thomæ corporis translatione, vbi doctrina eius præstantissimis nobilitatur elogijs. [o] *Nos* (inquit) *attendentes, quãta à Deo scientia dotatus ordinem Fratrum Prædicatorum, & vniuersalem Ecclesiam illustrauit, ac Beati Augustini vestigia insequens Ecclesiam eandem doctrinis, ac scientijs quamplurimis adornauerit. . . . Volumus insuper, & tenore præsentium vobis iniungimus, vt dicti Beati Thomæ doctrinã, tanquam veridicam, & catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare.*

[o] Vrban. V. apud Mont. Falcon. 12. Kal. Septemb. an. Pontif. 6. inuenies in front. Tabul. aureæ Petri Bergom.

Sextum acclamatorem doctrinæ Angelicæ venerandum elegimus Sanctissimum Pium Papam V. in Bulla Doctoratus Sancti Thomæ, quæ plena est laudibus

dibus, & præconijs eiusdem, ex quibus duo illa principaliora proponimus. primum ibi: [p] *Omnipotentis Dei gratia factum est, vt Angelici Doctoris vi, & veritate doctrinæ ex eo tempore quo cælestibus ciuibus adscriptus fuit, multæ, quæ deinceps exortæ sunt hæreses, confusæ, & conuictæ disparerentur. Quod & antea sæpè, & liquidò nuper in Sacri Concilij Tridentini decretis apparuit.* Secundum, & supra animaduersum, ibi, *Certissima Christianæ regula doctrinæ*, cum antecedentibus, & consequentibus.

[p] Pius V. an. 1567. inuenies apud Cherubin. tom. 2. bull. 36.

Septimus applaudens eidem doctrinæ Thomisticæ, offert se Clemens Papa VIII. dum interpellat pro exaltatione eiusdem D. Ioannem Ildephonsum Pimentel gerentem Vices Regis Neapoli, sub his verbis, [q] *Nouum Patronum ad reliquos, quos habet, addendum curaret Thomam Aquinatem, cuius diuino eloquio, & cælesti doctrina, miraculisque illa quidem illustris.* Vt recordemur, propter confirmationem prouenientem miraculorum causa, illius principij Theologici apud ipsum Diuum Thomam sæpè repetiti. [r] *Non fiunt miracula semper ad demonstrandum gratiam eius per quem miracula fiunt. Et ideò potest contingere, quod aliquis gratiam gratum facientem non habens, miracula faciat. Sed hoc contingere non potest, quod aliquis falsam doctrinam annuncians vera miracula faciat, quæ nisi virtute diuina fieri non possunt. Sic enim Deus esset falsitatis testis, quod est impossibile.* Ex quo sequitur, quod doctrina hæc, miraculis confirmata, & à Deo approbata, excludat à se omnem falsitatem, quia impossibile est, quod Deus testis, & comprobator falsitatis sit.

[q] Clemens VIII. apud Bzouium an. 1322. n. 24.

[r] D. Tho. quodlib. 2. q. 4. art. 6.

Octauus prædicator est Paulus Papa V. cuius insignia verba, cum aliorum plurium Pontificum dictis,

con-

[f] Paul.V. cuius bulla in actis capit. General. Romæ ann.1612. & fuit expedita die 17. Decembris ann. 1607.

consonantia, sic se habent. [f] *Splendididsimus Catholicæ Fidei Athletæ, Beati Thomæ Aquinatis, cuius scriptorum clipeo, Militans Ecclesia hæreticorum tela fæliciter elidit, honores, & venerationem in dies magis, magisque augeri plurimum in Domino gaudemus, & ijs, quæ ad illius honorem deuotè sancita sunt, vt firma, & illibata permaneant, libenter Apostolicæ firmitatis robur adijcimus;* in quibus vltimis verbis cætera Pontificum elogia confirmare videtur.

[t] Clemens VI. inuenies Bull. apud Episcop. de Monopol. 6. p. histor. ordin. lib. 1. cap. 140.

Nonus Diui Thomæ exaltator insignis est Clemens Papa VI. cuius testimonium in hoc loco transcribimus, quia quasi præuidisset omnia relata, illa nobis obtulit in similitudinem fasciculi concinati ex varijs rosarum generibus, dicens: [t] *Attendentes igitur, quod ordo prædictus in horto plantatus Ecclesiæ, ac in germina ineffabilis spiritualis vtilitatis succrescēs, illum prælucidum, ac fructuosum palmitem, Beatum videlicet Thomam de Aquino Confessorem, ac Doctorem egregium, ex cuius sapientiæ, & doctrinæ scriptis, & traditis, vniuersalis Ecclesia multiplicis vbertatis spiritualis fructum colligens, ipsius fructus odore reficitur incessanter, produxit. Et quod idem ordo, vt spiritualium fructuum vbertatem multifariam multiplicet, non lassatur labore, &c.*

[u] Dom. noster Alexand. Papa VII. die 7. Aug. ann. 1660.

[u] Decimus tandē nobilitator huius doctrinæ, modis omnibus venerabilis, existit Sanctissimus Dominus noster Alexander Papa VII. E cuius Beatitudinis profluuio, totius Ecclesiæ campus irrigatus florescit. Religio etiam nostra, spiritualium huiusmodi vndarum gratia plena, vernat surculis honoris, & decoris. Sed præcipuè arbor vna nobilis Angelicæ doctrinæ, plantata, secus decursus aquarum ipsius, panegyristicis germinibus pullulascit. Sanctitas siquidem

sua

ſua in reſcripto ad ſcholam Louanienſium extollit diſciplinam Thomiſticam glorioſis his laudibus: *Non dubitamus, quin vos pro ſingulari ſcientia, pietatiſq. ſtudio ſanam, & incorruptam, qualem tot Apoſtolicæ Sedis declarationes, & Sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam ſemper amplexuri, & aduerſus Orthodoxæ Religionis hoſtes defenſuri ſitis. Necnon præclariſſimorum Eccleſiæ Doctorum Auguſtini, & Thomæ Aquinatis inconcuſſa, tutiſſimaque dogmata ſequi ſemper, vt aſſeritis, ac impensè reuereri velitis. Quorum profectò ſanctiſſimorum virorum penès Catholicos vniuerſos ingentia, & omnem laudem ſupergreſſa nomina noui præconij commendatione planè non egent.*

Hæc ſunt potiſſima teſtimonia, quæ à Sede Apoſtolica emanarunt in laudem Sancti Thomæ, omnibuſq. & ſingulis benè conſideratis, ſtatim ſe offert, impunè nos reprobare non poſſe doctrinam à tantis, ac talibus conclamatoribus laudatam. Nam ſi ex eius excellentia mouentur, vt laudent, ex eodem principicipio moueri neceſſe eſt, vt contradictores coerceant. Vel euanidè laudant rem illam, cuius reprobationem ſine vlla deformitate homines aggrediuntur. Et eapropter negandum non eſt, quod medijs ipſis laudibus ita repetitis, ita multiplicatis, ita honorificis aliqua nota inurantur implicitè, qui reprobationem ineunt.

Si verò examinare velimus, qualis hæc nota eſt, perpendere debebimus eam ineuitabiliter prouenire ex receſſu à veritate doctrinæ laudatæ; qui receſſus cum per acceſſum ad falſitatem contingat, quia deſerens verum accedit ad falſum: concludemus, quod

Digitized by Google

huiuſmodi oppugnatores tacitè à Pontificibus notantur vt à vero recedentes, & ad falſum accedentes, cui nullus accedit, niſi pro maiori, vel minori propinquitate cum illo, incurrens maiorem, vel minorem ſuſpicionem de veritate, quæ eſt concluſio noſtra.

Diſcurſus autem iſte fundatus in tacita, vel virtuali reprehenſione, quæ clauditur in approbationibus Pontificijs, non alio meliori modo poteſt attemperari, quàm affirmando, reprehendi à Pontificibus, non oppugnantes Diuum Thomã in aliquibus probabiliter, ſed oppugnantes contradictoriè, aut ſine probabilitate, quæ impugnationes admodùm reprehenſibiles ſunt. Ergo in eodem ſenſu, ac aduerſarij neceſſitantur, & conſtringuntur accipere reprehenſionem hanc tacitam, interpretamus nos elogij huius reprehenſionem expreſſam, non aliter. Concludimuſque ab alijs elogijs non diſtingui, niſi penès implicitum, & explicitum, vt ſupra dictum eſt.

Altera verò ratio trahens fundamentum ex eiſdẽ Sedis Apoſtolicæ teſtimonijs, in eo conſiſtere explicuimus, quod doctrina Diui Thomæ nobis proponitur vt inſtrumentum directiuum, & ordinatiuum noſtræ ſalutis. Cuius contrarium non apparet veriſimile, quia pluries dicunt Pontifices: *Tanquam veridicam, & catholicam ſequimini eam. Totis viribus ampliate. Sine vllo prorſus errore eſt. Miraculis confirmata. Eius dogmata inconcuſſa, & tutiſſima ſunt.* & alia ſimilia reſpicientia principaliter huius doctrinæ obſeruantiam in executione. Præterquàmquod ratione id probatur, quia res omnis ſi rectè laudata eſt, non ex alio laudatur, niſi ex bonitate, quàm habet per ordinem ad ſui in-

Digitized by Google

institutionis finem. Sed doctrina D.Thomæ ordinatur secundum se ad directionem fidelium in salutẽ æternam, & rectè laudatur, cum laudatores eiusdem Pontifices sint. Ergo conuincitur eam laudauisse, & laudare: quia ad id, ad quod ordinatur, scilicet hominum directionem, inconcussa, tutissima, sine errore, firmata miraculis, & bona est. Vndè impugnatores illius reprehenduntur à Pontificibus formalissimè, quatenus oppugnant eam, vt ab ipsis proponitur in ratione instrumenti dirigentis, & ordinantis: quod est oppugnare illam in eo, ad quod secundum se nata, & instituta talis doctrina est. Et hæc impugnatio sine dubio procedit modo contradictorio, appropriatur hæreticis: & si aliqui Catholici præsumptuosè vsurpant, malè faciunt, & suspecti de veritate sunt.

Qua explicatione vt verissima retenta, faciliter respondetur ad argumentum à principio ab aduersarijs ponderatum, & eorum iudicio insolubile. Sed quia, vt magis vrgeant nos, supponunt D. Thomam docere, quod Virgo Maria immaculata contraxit originale peccatum, vt indè inferant, ergo prædicantes præseruationem sunt de veritate suspecti: visum fuit mihi consentire cum eis in suppositione de sensu D. Thomæ, & post suppositionem factam, ac inuolucris verborum vitatis, respondere in forma, *Omnes impugnantes D.Thomam sunt de veritate suspecti.* Concedo maiorem. *Sed tenentes præseruationem Mariæ Matris Dei ab originali peccato impugnant D. Thomam.* distinguo minorem. Impugnant contradictoriè, quæ est propria impugnatio, nego minorem. Impugnant contrariè, & probabiliter, transeat minor in suppositione facta ab eis. *Ergo sunt de veritate suspecti*, nego consequentiã:

quia maior præmissa huius argumenti ex verborum suorum proprietate, tantùm comprehendit impugnantes contradictoriè in omni materia, non autem impugnantes contrariè, & probabilitate fundata. Nec Thomistæ dicunt, aut dicere possunt omnes opiniones extra suam scholam suspectas de veritate esse, licet plurimæ improbabiles sint, sed non omnes.

Et ecce quomodo præsens quæstio non parum difficilis visa aliquibus, de legitimo huius elogij sensu absoluta manet. Verùm ad præfatum modum dicēdi amplectendum, præter huc usque ponderata non parum me mouent considerationes sequentes.

Prima, quod verba laudatoria Pōtificum, licet omnem impugnationem factam contra D. Thomam excludant: vt in plurimum excludunt perpetuò, ac sine vlla exceptione oppugnationem contradictoriam. Et patet hoc in verbis Clementis VIII. affirmantis de vniuersis scriptis D. Thomæ, *sine vllo prorsus errore esse*. Ex quo benè infertur, quod *affirmantes errorem aliquem de hac doctrina destruunt Pontificis dictum*: quia hoc potissimè intendit Pontifex excludere omnē maculam erroris præsumptam ab impugnantibus cōtradictoriè. Non autem infertur benè: *Ergo non licet aliter, ac Diuus Thomas opinari*: quia opinantes oppositi possunt procedere probabiliter sine errore aliquo. In cuius confirmationem adduco singularissima verba sapientissimi Magistri Syluestri de Pierio in sermone D. Thomæ dicentis: * *Septimòque Christus dicens, Benè scripsisti de me Thoma. Mendacem igitur Dominum facit, qui Thomam malè scripsisse dicit.* Vbi pondero, non fecisse Syluestrum illam consequentiā:

* Syln. fer. 4. ciner. serm. 5. de D. Th.

Er-

Ergo omnes à Diui Thomæ opinionibus recedentes scripserunt malè: quia in recessu opinatiuo adest latitudo sufficiens, vt duo opinantes contrarij inter se scribãt benè,& propter hoc instaretur aliquando consequētia.sed intulit formalissimè: *Ergo mendacem Dominum facit,qui Thomam malè scripsisse dicit*. Quod est excludere impugnationem contradictoriam, relinquere locum oppugnationi probabili, & inferre consequētiam perpetuò bonam. Et secundum istum modum dicendi idem est affirmare,*sine vllo prorsus errore* scripsit,ac *oppugnantes eum sunt suspecti de veritate*. nam oppugnantes imponunt errores, quando contradictoriè oppugnant, quos excludit omninò, qui sine illis scripsisse asserit. Quapropter ex alio validissimo titulo nostra hæc interpretatio commendanda venit, cum interpretatio omnis [y] concordãs iura iuribus, dicta dictis, vera veris, cum exclusione absurdorum omnium, & obseruantia proprietatis sermonis,cæteris præferatur.

[y] l.2. C. de noxal. action. glos. in l.si vnus, §. pactus, in verb.redditur,ff.de pact.

Secunda consideratio mouens me illa est, quod hac intelligentia accepta, in nullo derogamus laudibus D.Thomæ, sed encomium singulare tribuimus. videlicet, quod ei non possit obijci ab aliquo, *in hoc errat Doctor sanctus*, quæ est propria, & genuina laus eiusdem, [z] scribere plurima ita difficilia,ita abscondita,ita diuina, & nunquã à veritate discedere. Quod autem alij veritatem non dicant, nullatenus amplificat honorem D. Thomæ:ad extra se habet: sola illa laus ab intrinseco conuenit, loqui semper rationabiliter, & quotiescumque maior probabilitas adest, eam amplecti: & ideò à laude hac nihil ab eo dictum, aut scriptum excludimus.In parua Dialectica, in Logica,

[z] Et eminentiã huius laudis considera secundum verba text.in l.2. §. si quid autem, C. de veter iur. enucl.ibi: Omniũ habere memoriã, & penitùs in nullo errare, aut decipi, diuinitatis potiùs esse,quàm mortalitatis. Et à maioribus dictũ esse tradit, concordatq.glos.in cap.porrecta,ver. non credamus,de confirm. vtil. vel inutil.

in

in Philosophia, in Metaphysica, in Politica, in Ethicis, in Oeconomicis, in Theologicis, & in expositione sacrarum Scripturarum semper benè dicit: & quicumq. eum malè dicere affirmat, de veritate suspicionem incurrit.

Vulgari satis persuasione apud aliquos præualuit cogitatio, amare Dominicanos, & sequi S. Thomę doctrinam: quia Religiosus Professus nostri Ordinis est, educatus in eo ab ætate tenera, & intra eum vita functus: itaque in eius sequela tanquam in causa nostra fascinati, nè alienas pulchritudines inspiciamus, omnes nos inordinatus obcæcauit amor. Sed longissimè à vero cogitatū suum isti emittunt: quia cū nos simus Sedis Apostolicæ perpetuò veneratores, & non agnoscamus de diuina veritate aliam regulam visibilem præter Papam: ex eo Diuum Thomam sequimur, quia nullum alium Doctorem à Pontificibus Summis æquè laudatum legimus. Nec hoc negotium indiget pluribus verbis. Compareant aduersarij, & manifestent nobis aliam doctrinam magis commendatam, & prædicatam à Pontificibus, statim sequemur eam, & relegabimus ab Scholis nostris in perpetuum Præceptorem Sanctum. Si autem manifestationē hanc non possunt facere, sciant, in hoc maximè splendescere merita Patriarchæ nostri Dominici, quod ei, vt fūdatori Religionis Fratrum Prædicatorum, habentis pro fine docere legem Dei, dignatus est Deus dare doctrinam Thomisticam, habentem miram coaptationem cum suo fine. quasi Deus dicat: *Complacui in instituto vestro, & ideò vobis trado optimum instrumentum doctrinæ huius, vt id in quod tenditis consequamini.* Itaque ex hoc capite pręcipuè amamus eam,

quia

Digitized by Google

quia à Pontificibus plus cæteris commendatur. Vndè Brixiensis Episcopus loquens de acceptatione sapientiæ Thomisticæ erga Vicarios Iesu Christi, & de vnione veritatis illius cum hac regula, considerans q; quantùm Pontifices laudant Diuum Thomam, dixit notanter: [a] *Hæc autē, vel similia, non dicit Sedes Apostolica de alijs. ideò videtur, quod non possit tangere hæc Sedes doctrinam eius, sine hoc, quod se ipsam quodammodò tangat.*

[a] Cuius nomen proprium Dominicus. iste fuit primò Episcopus Torcellensis, posteà Brixiensis. & inuenies verba illius apud Michael. Pio. de viris illustr. famil. Præd. in vita Diu. Thom. folio 247. lit. A. lib. 1.

Tertia consideratio, quæ me mouet ea est, quod nemini, hac interpretatione admissa, præiudicium inferimus. Admodum enim laboriosum esset, ita Diuum Thomam laudare, vt ex indè cæteri viri honoratissimi nota aliqua indignitatis afficerentur. Siquidem eo casu non ageremus causam nostram, potiùs incideremus in satis notum discrimen, quod [b] *pessimum inimicorum genus laudantes.* Impugnationem ergo contradictoriam, & contrariam improbabilem, tantùm condemnamus, & vtramque à qualibet alia Schola condemnatam esse debere intelligimus. Quapropter, cum omnium disputantium in via veritatis iura seruemus, quisquis contra Diui Thomæ elogium vlterius reclamauerit, forsan [c] *neque dignum tantæ rei censorem* esse auscultatores credent. vel ab impia regula, quod [d] *semina odiorum iacienda*, moueatur cognoscent.

[b] Tacit. Agricol.

[c] Tacit. ann. 3.

[d] Tacit. ann. 12.

Nunc transeamus ad secundam huius allegationis partem.

De auctoritate Thomistici Elogij.

ALiqui Scriptores non inferioris notæ multum laborarunt inquirentes huius Elogij auctoritatem.

Digitized by Google

tatem. & pro ea stabilienda adducunt nostra antiqua Missalia, virosque innumeros sapientissimos, illud vno ore Pontifici attribuentes. Sed cum omnes decertauerint ex confidentia multitudinis testium, & de sensu verborum non æquè meminerint, restabat semper aduersus eos validum argumentum à Diuo Athanasio depromptum, sub his verbis : [a] *Qui demonstrationibus instructus non est, ad multitudinis confugit præsidium. Is hoc ipso se victum profitetur, vt qui nullũ aliud confidentiæ suæ habeat adminiculum. Quid multitudinem nobis ingeris, quasi alteram turris Babyloniæ structionem Deo minitans, ad insanæ multitudinis illius exemplum? Ostendat mihi illa veritatis decus, proxima hac, & compendiaria via erit ad persuadendum. Multitudo autem suo aliquid arbitratu, sine demonstrationibus comprobans; est illa quidem idonea ad incutiendum metum, ad persuadendum nullo modo.*

[a] S. Athanasius post Dial. 2. cont. Manich. in epist. prælim. sub titul. aduers. eos, qui in veritate, &c.

Qua de causa antequam arriperem calamũ, oleũ, & operam perdere intellexi, nisi veram interpretationem Elogij huius proponerem, vel saltem non abhorrentem à mente Patrum nostrorum. Ex quibus duobus, ni fallor, hoc secundum obtinui, distinctione inuenta, satisque in superioribus explicata, inter oppositionem contradictoriam, & contrariam. Cùm igitur congruitas sensus adsit, solum iam restat in præsenti, auctoritatem testium demonstrare, & de multitudine illorum in his terminis nequaquam diffidere; imò multum confidere, quia ratione data, & exhibita, Diuus ipse Athanasius pro nobis est, dum subiungit. [b] *Verum enimuerò, & multitudinem veneror ego non eam quidem quæ ab inquisitione refugit, sed quæ demonstrationem exhibet, non quæ acerbè pugnat, sed quæ pater-*

[b] S. Athan. vbi sup.

nè

nè corrigit. non quæ gaudet nouitatibus, sed quæ patriam hæreditatem tuetur. Et patriam hæreditatem tuemur nos, à maioribus acceptam, traditam, probatam, sensuque, vt vidimus, congruentissimo fulcitam.

A primis ergo principijs eruendo fundamenta auctoritatis, notare debemus cũ [c] Algaruiensi Episcopo Hieronymo, quod tempus creatum à Deo in beneficium generis humani, se habet respectu librorum omnium, quasi quodam expurgatoriũ generale. Videmus enim scripta aliqua maximo plausu enata, citò mori. Videmus plures modos dicendi penè ipso die florescere, & marcescere. E contraquè experimur, scripturas egregiè compositas à tempore non consumi, sed æternitatis præmium reportare. Ex quo non difficulter colligimus, prouidentiam diuinam disposuisse miro ordine tempora præterita in beneficium temporis futuri; [d] vt *omnis res anterior posteriori normam præministret*. Quia hæc apparet annorum virtus, concoquere, sicut in ardẽti fornace, studiosorum omnium labores, quasi massam metalitiam efformationibus ingeniosissimis aptam, vt ab omni spurcitia, & scoria repurgando eam, quidquid purissimum est, & non aliud, sæculis commendetur. Itaquè à tempore non consumi, sed honoris gloriam mutuare, est aliquod bonum præstantissimum rectè dictis, aut factis, tantummodò competens, à rudioribus, & malè fundatis longissimè distans, quia [e] *suum cuique decus posteritas rependit*. & [f] *meditatio, & labor in posterum valescit*. Doctrinarum itaque dogmata ab antiquioribus ad nos transmissa perquàmaximè approbari ab omnibus debent, nõ solũ ex eo, quod vitiosa est [g] *rerum nouarum cupido*. & [h] *cuncta à maioribus inuenta*:

[c] Episcop. Osorius alter Cicero de inst. Reg. ad Prin. Sebastian.

[d] Tertul. adu. Marcion. lib. 1.

[e] Tacit. annal. 4.

[f] Tacit. annal. 4.

[g] Tacit. hist. 3.

[h] Tacit. annal. 3.

ſed quia veterum dicta diſcuſsa quotidiè, examinatâ, approbata habent in honorem ſui repetita experimẽta victoriæ. Notanterque ſub hac formalitate loquimur, cum non faciamus argumentum vulgare de multitudine teſtium ad inferendum, quod Papa prædicauit elogium: imò quia antiquiores affirmant, inferimus eum abſurdum non eſse, incredibileque omninò videri, tot viros doctrina conſpicuos erronea verba Pontifici Summo, vt prolatori, attributos eſse, præterea in diuinis inſeruiſse, totumque hoc receptũ ſine contradictore manere.

Tamen inter memorantes elogium hoc, Officijs diuinis Fratrum Prædicatorum inſertum, nullum inuenio Pizamano antiquiorem. [i] Ipſe fuit Patritius in Venetorum Republica, ediditque in lucem omnia Opuſcula D. Thomæ anno ſalutis 1490. & in epiſtola præliminari refert totam vitam Angelici Magiſtri cum quadraginta miraculis per illius intercesſionem patratis. Adducit Bullam ſuæ canonizationis: epiſtolam laudatoriam Vniuerſitatis Pariſienſis: Officium recitatum in eius die ſolemni, & in die feſtiuo tranſlationis eiuſdem. Denumque integrum etiam Officium Miſſæ, in cuius Præfatio proprio fuit inſertum Thomiſticum elogium. Præterquàmquod in calce iſtius narrationis hiſtorialis idem Pizamanus teſtatur, ea verba fuiſſe deſumpta ex quodam ſermone Innocentij Pontificis, cuius initium eſt, *Ecce pluſquàm Salomon hic*. & iterum illa repetit.

[i] Doct. Anton. Pizaman. in prologom. opuſc. Diui Thom. ſub tit legenda S. Thomæ impreſſ. Venet. per Hermanum Lichienſtein Coloniensem an. 1490

Quæ teſtificatio abſque omni dubio grauiſſima eſt, cum nullus homo cordatus potuerit Prælo dare, quaſi recitatum, & cantatum ab Eccleſia in ſacrificio Miſſæ, quod nullo modo recitabatur, aut cantabatur.

Et

Et ex eo dubitare non possumus, elogium hoc in tantam venerationem deuenisse antiquis temporibus, vt inserere eũ in sacris Patres illi non ambigerint. [k] Visoque Missale nostro apud nos existente, & sequenti anno 1524. edito, in quo idem continuatum Præfatium adest, probatur apertè non per vnum annum, aut alterum, sed per plurimos annos reperiri hoc encomium in diuinis decantatum, celebratum, obuium, receptum, auditum, & à nemine in controuersiam vocatum.

[k] Missale Domin. edit. an. 1524. asseruatur Romæ in Conuentu S. Mariæ super Mineruam.

Aduersarios autem non latet, hoc testimonium vndequaque reduci ad libros rituales Ordinis nostri, & consequenter fidem illius, vt infirmam, parum æstimauere. Dicunt etiam non ab Innocentio elogij verba pronunciata, sed ausu temerario à Bandello conficta, in cuius reprehensionem, [l] *multa vana sub nomine celebri vulgantur.* satisque cõpertũ iudicant, [m] *Eo de homine sinistram in vrbe famam, pleraque fæda memorari.* Licet in primis deberent aduertere, Reuerend. Patrem Vincentium Bandellum electum extitisse in Generalẽ Dominicanæ Familiæ anno 1501. [n] ideòq. præualebat elogium in sacrificio Missæ, vndecim saltem integris annis antequàm Prælatus iste haberet authoritatem ad aliquid in hac materia confingendũ: & posteà probabimus ex libris non sacris antiquitate multò maiori gaudere. Cæterum Bandellus in electione Magisterij Ordinis habuit pro se omnium eligentium suffragia, ex quo iugiter peruium erat intelligere non nudum meritis, aut fallacijs idoneum apparuisse. Quamuis à defensione illius libenter discedã, non solùm, [o] quia *punitis ingenijs, gliscit auctoritas,* sed quia *Maiestatis crimina subduntur, vinculum, &*

[l] Tacit. annal. 6.

[m] Tacit. annal. 6.

[n] Chro. Ord. in fin. vol. Constit. Frat. Prædic.

[o] Tacit. annal. 4.

Tacit. annal. 3.

Digitized by Google

necessitas silendi.admodumque desidero, quod resecatis omninò offendiculis, [p] *nostra certamina ex honesto maneant*.

[p] Tacit. annal. 3.

Et eapropter de iniuria nobis illata ratione diffidentiæ Ritualis nostri, vllo modo non curo. Hoc vnũ genus vltionis ex corde amo, probare euidenter inuiolatam fidem Missalis Dominicani, & omnibus oculatissimum facere, quod apud nos [q] *Laus falsa, & precibus expressa perindè cohibetur, quàm malitia, quàm crudelitas*.

[q] Tacit. annal. 15.

In cuius veritatis ostensionem, supponendum ante omnia est, Magistrum Generalem Fratrum Prædicatorum, iuxta Leges, & Constitutiones notissimas Ordinis, [r] non posse circa substantialia diuini Officij aliquid mutare, vel de nouo introducere; cum à Religionis nostræ principio, & secundum consuetudines nostras, maneat hoc reseruatum Capitulis Generalibus nequaquam excludentibus, potiùs exigentibus, Pontificis confirmationem, de qua loquemur postea. Et præter leges nostras, ita etiam insinuatum habemus in Bulla Clementis IIII. nostri Ritualis confirmatoris primi, [s] postquam in tribus continuis Capitulis Generalibus examinatum fuit. Sed magis apertè probatur ex Generali Capitulo Salmanticæ habito anno Domini 1551. vbi hæc Ritualium materia agitata fusiùs, terminationem statim accepit à Pontifice Iulio III. [t] confirmante libros Chorales omnes Prædicatorum, simulquè prohibente mutationem eorum quamcumque, *nisi aliter Capitulo Generali visum fuerit, iuxta laudabiles consuetudines Ordinis*. Quæ Bulla adest in fronte nostri Breuiarij, [u] tunc Venetijs editi, & in præsens Romæ in Conuentu S. Mariæ super Mi-

[r] Lib. Const. Præd. dist. 1. cap. 1. §. 4. verb. Nulli liceat aliquid de cætero innouare, & ibi Cap. Gener. Salmant.

[s] Clem. IV. Viterb Pontif. an. 3. non. Iul. reperitur inter priuil. nostra.

[t] Bull. Iul. III. anno seq. 1552.

[u] Breu. Venet. edit. anno 1564.

Mineruam asseruati, vbi hæc omnia legi. Indèq; concluditur, Officium Missæ Diui Thomæ cum prædicto Præfatio, non potuisse introduci ab aliquo singulari Religioso superiori, vel inferiori: quia sine dubio pertinet ad substantialia Officij diuini, & Capituli Generalis exigebatur authoritas

Non tamen videatur alicui consuetudinem hanc à Papa Iulio comprobatam, & in limine nascentis Religionis laudabilem, posteà in prauum vsum à nobis detortam, præcipuam causam extitisse, vt introduceretur hoc malum. Quia quisque debet scire, in tantum nos Dominicanos esse obseruatores integerrimos consuetudinum Patrum nostrorum antiquorum, in tantum inflexibiles ab eis, & in tantum Summis Pontificibus propter hoc commendatos, quod habeamus duplicem confirmationem Apostolicam nostrarum omnium consuetudinum, vt pro legibus custodiantur. Ita Nicolaus Quintus: [x] *Disponimus, & ordinamus antiquas ipsius Ordinis consuetudines, & regularia instituta, necnon Apostolica eidem Ordini concessa priuilegia, sublatis contrarijs quibuslibet, inuiolabiliter obseruentur.* Et postea idem Pontifex iterauit per hęc verba paginam eandem: [y] *Statuimus, disponimus, & ordinamus salubres ipsius Ordinis consuetudines, & regularia instituta, necnon Apostolica eidem Ordini concessa priuilegia, semotis quibuslibet disturbijs, inuiolabiliter obseruentur. Ipsique Religiosi, institutis, & consuetudinibus supradictis se conformantes, sua, in pacis, & quietis mansuetudine, Altissimo vota reddere, ac fructus in Dei Ecclesia proferre valeant ampliores.* Ex quo patet, quàm sine ratione in consuetudinibus reprehendimur, qui vniuersas consuetudines nostras à Iesu Christi Vicario confirmatas

[x] Nicol. V. apud S. Pet. sept. Id. Maij Pontif. ann. 3.

[y] Nicol. V. apud S. Petr. quint. Idus April. Pont. an. 8. reperiuntur hæc duo priuileg. in Bullar. nostro.

tas

Digitized by Google

tas habere meritò gloriamur.

Verùm enimuerò in earum fauorem hoc præcipuè in considerationem legentium ponimus. Missalia nostra continentia Diui Thomæ Præfatium, antecessisse per triginta annos tantum, plus, minusuè, Bullam Iulij Pontificis approbatiuam consuetudinis in fauorem Capitulorum Generalium, cumquè omnia librorum exemplaria in tàm breui tempore non potuerint consumi: manifestè colligitur, quod quando Pontifex Iulius [z] prohibuit circa Ritualia nostra mutationes omnes, nisi Capitulo Generali aliter videretur, iuxtà Religionis consuetudines, tunc nos in Missarum solemnijs canebamus suspectos de veritate esse impugnantes D. Thomã. Et certè non canebamus regionibus longinquis, sed Romæ ad aurem Papæ, & in aduersariorum nostrorum conspectu. Pastor autem supremus indagare debet de his negotijs, vtpotè pertinentibus ad supremum munus illius. Vndè incredibile omninò est, absurda, & commentitia cantasse nos in diuinis intra ciuitatem Romanam per tempus ita longum, & Pontificem ignorare. Non solùm ignorare, sed potestatem nobis concessisse intolerabiliter errantibus, vt iterum erraremus. Præterea mentionem eum facere consuetudinis nostræ, occasione cuius erratũ est, & laudare illam, & confirmare ipsis diebus, quibus actualiter, & coram peccabamus. Quod totum sine aliqua specie omissionis ex parte Pastoris supremi nequibat accidere. Quia ipse, vt talis consuetudinis cõfirmator, considerare debebat: quid est hoc, quod in confirmationem venit? Quam ansam, & occasionem abusus istis Religiosis præstamus? Tempore præterito, quomodò illi se habuerunt in hoc negotio? Tẽpo-

[z] Hoc Breuiarium, vbi adest Bulla Iulij, asseruatur etiam in nostro Conuentu S. Dominici de Neap. vbi vidi, & legi iterum.

pore præſenti, quomodò ſe habent? vel confirmauit cæco modo, quod nullatenus dicendum. Ideòq; cauſa hæc noſtra cum cauſa, & cura Paſtoris coniuncta eſt, vt exindè detur intelligi, in ciuitate ſancta Dei Fratres Dominicanos, [a] *ita natos eſſe, vt bona, malaq. noſtra ad Rempublicam pertineant*. viaque aperiatur meditandi [b] *ab exercentibus per occultum, eoque procacius libidinem ingeniorum*, an melius ſit conſentire nobiſcum in interpretatione data de oppugnatione contradictoria ſine alicuius præiudicio: vel dare locũ in Officio diuino maculoſis his denigrationibus, etiã ad aurem Papæ, & non ſine eiuſdem aliquali omisſionis nota?

[a] Tacit. annal. 4.

[b] Tacit. annal. 5.

Hoc certè grauisſimum eſt, quia hæretici vniuerſam horarum canonicarum recitationem, Miſſæq. ſacrificium improbant, de erroribus, inſipientiaquè cõdemnant. Et non benè reſpondemus eis, Romanum Breuiarium defendendo, & alia Breuiaria particularia paruipendendo. Quia vt docet Sanctus Ambroſius, [c] *Vnum eſt corpus Eccleſiæ, & in diuerſa membra alterum altero eget. Non poteſt dicere oculus manui, operam tuam non deſidero. aut iterum caput pedibus, & auricula ſe negare eſſe de corpore. Nam etſi alia principalia, tamen alia neceſſaria.* & ſine reprehenſione non erit admittere pro vna parte Breuiaria particularia plurima; pro altera verò fidem eorum, etiam in receptisſimis frangere.

[c] S. Ambro. in Luc. cap. 10.

Quæ ratio, ſatis vrgens, fit vrgentior in fauorem Breuiarij, & Miſſalis noſtri, ſi breuiter, iuxta hiſtorias Eccleſiaſticas, perpendimus: [d] quod Officium Miſſæ, & ſeptem horæ canonicæ à principio prædicationis Euangelij ſuam venerationem ſortiuntur: non

[d] Caſal. de Ritib. Eccl. cap. de hor. canon.

Digitized by Google

tamen omnes Prouinciæ, & Nationes circa accidentalia rituum concordarunt, vel quia tradita à proprijs Apostolis constanter retinerent; vel quia ritus proprios meliores crediderint; vel quia per distantiam à capite vniuersali, tunc minus præualente, à quo in vnitatem reducerentur non habuere. Itaquè particulares Ecclesiæ à Metropoli dissidebant, Regna à Regnis, & ipsa Ecclesia Romana in suæ Ciuitatis ditione, tempore procedente, meliorauit multa, vsq; dum à Concilio Tridentino, & sanctissimo Pontifice Pio Papa V. vltimæ emanarunt reformationes. Quare difficilè erit aliquam particularem Ecclesiam assignare, quæ in huiusmodi accidentalibus Rituum suorum sæpèsæpiùs correcta non sit. Nisi Dominicanam Ecclesiam consideres consuetudinum antiquarum pedissequam, Patrumquè suorum perpetuam obseruatricem. Hæc igitur Sponsa Christi nunquam à Pontificibus reprehensa, correcta, reformata, æquali, & mansura pulchritudine circa suos ritus mirabiliter floret. Et tamen accusatur de absurdis, nec in eisdem congregationibus reprehensis contingentibus, quasi consuetudinis occasione peccasset, quæ propter consuetudines ad vnguem custoditas, omniũ reformationum viget immunis.

Sed si interroges à me, qua de causa Præfatium D. Thomæ non adest iam in Missalibus nostris? Facilè tibi dicam, nunquam nos condemnatos esse ad eum delendum: & hoc euidenter ex eo apparere, quod ante condemnationem debebamus citari, & audiri; ideòquè introduceretur quædam lis famosa ex sua natura interminabilis sine aduersariorum notitia. Preterea nec Perfatium voluntarij deseruimus, quasi poeni-

nitentiam agentes: quia postea,& nunc, & tempore omni, prædicauimus eum, in infinitis libris transcripsimus, & in nostris Breuiarijs à triginta annis habemus. Remanet ergo vnum, & verum, quod non solùm Diui Thomæ Præfatium dereliquimus, sed Sancti Dominici Patris nostri, S. Petri Martyris, S. Antonini, S. Vincentij, S. Catharinæ Senensis: quæ omnia simul in præcitato Missali nostro leguntur, & recessimus ab eis, vel propter eorum prolixitatem, cum admodùm oblonga essent: vel quod veriùs credo, vt conformaremus Ecclesiam nostram cum Ecclesia Romana in hac parte, sicuti in alijs similibus factum fuit, tempore Clementis VIII. [e] de cuius Bulla constat in Breuiarijs nostris tūc publicatis, clausula tamen apposita, vt Dominicanum Rituale seruetur.

[e] Bull. Clem. VIII. tempore Generalis Xauierre.

His verò generaliter cognitis, nunquam aduersarij nostri obijcere desinunt Missalis Prædicatorum suspiciosam fidem. Quapropter operæ pretium me facturum existimaui, si illius auctoritatem quibusdam considerationibus, vtcumque possem, fulcirem. Sermo enim iste de particulari Ritu frequenter contingit, sine competenti tamen discussione transire solet, & ab omnibus non æquè faciliter comprehenditur, quasi ratione particularitatis Breuiarij, & Missalis, aperiatur via ad contemnendum ea. Licet facillimum esset aduertere quemlibet Sanctorum ex his, qui apud nos floruerunt, & florent, in suis dictis, aut factis, non vulgarem venerationem habere. Similiter quemlibet ex Doctoribus nostris primarijs; ac per consequens cùm omnes isti viri sanctissimi, & doctissimi simul concurrant, vt Breuiario nostro auctoritatem

præſtent, neceſſariò colligatur, quod cuilibet ſeorſim ſumpto Breuiarium debeat in auctoritate præferri. Qua de cauſa diſputatores huius quæſtionis rogo, vt meditentur: Quæ Familia eſt hæc Breuiario tali vtens. Quos habet, & habuit Sanctos. Quos viros ſapientiſſimos. Quam acceptationem obtinet in Dei Eccleſia. Quem honorem. Qua extenſione gaudet. & poſtea ſubſumant: Si vnus ex primatibus huius Familiæ reuerentiam maximam inter Catholicos ſortitus eſt: omnes iugiter vno ore loquentes, quam fidem merebuntur? Quia fides, & veracitas cunctorum in Breuiario, quo cuncti vtuntur, collocata eſt. Certè ſatis potens hæc ratio apparet. Verùm cum ſacra Religio noſtra illa ſit, [f] *quæ magnitudinem ſuam malit iuſtitia tueri*. ſemperque apud nos [g] *habuerint virtutes ſpatium exemplorum*. quod totum notiſſimum eſt: volui præſens fundamentum meditationi legentium commendare, & ad alia plura aliundè, quàm à noſtræ Familiæ auctoritate deprompta, tranſire.

[f] Tacit. mor. Ger.

[g] Tacit. Agricol.

Et primò pondero S. Doctoris Hieronymi auctoritatem deſumptam ex catalogo Scriptorum, vbi de S. Ephræn ita loquitur: [h] *Ephræn Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus, multa Syro ſermone compoſuit, & ad tantam venit claritudinem, vt poſt lectionem ſcripturarum publicè in quibuſdam Eccleſijs eius ſcripta recitentur*. Ex quibus verbis fit argumentum. Quod Sanctorum ſcripta ſe habent in aliquo ſenſu inferiora ad auctoritatem Eccleſiarum particularium; ſiquidem euadũt præclara ab huiuſmodi Eccleſijs recepta, & à meritis proprijs ad hanc receptionem perueniunt, vt ad quẽdam gradum ſuperioris excellentiæ. Et ideò nos adadu-

[h] S. Hieron. in catal. ſcrip. Eccleſ.

ducentes teſtimonium Eccleſiæ ſingularis in huius elogij confirmationem, adducimus id, quo ſcripta Sãctorum honorantur, nobilitantur, & clariora redduntur. Cuius fides vulgaris non videtur, ſaltem ex eo, quia eſt ratio demonſtrandi, & illuſtriorem faciendi fidem Sanctorum Patrum. Admodumque veriſimile eſt, Eccleſias illas, de quibus Hieronymus loquitur, non habuiſſe æqualitatem cum noſtra in Diuorũ numero, in virorum ſapientia, in Prouinciarum extenſione, in Euangelij prædicatione, & alijs prærogatiuis honorem noſtrum per totum Orbem terrarum mirũ in modum commendantibus.

Secundò pondero Diui Thomæ doctrinam, inquirentis, vtrum Beata Virgo fuerit ſanctificata ante animationem? vbi S. Doctor attingit punctum Conceptionis ſub his verbis: [i] *Ad tertium dicendum, quod . . . . Romana Eccleſia . . . . tolerat conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum illud feſtum celebrantium, vndè talis celebritas non eſt . . . . reprobanda.* Quia ſecundum D. Thomam ex Ritu particulari alicuius Eccleſiæ non benè infertur, *ergo Pontifex ignorat.* ſed hæc eſt legitima conſequentia: *Ergo Pontifex tolerat.* Quod patet in ſenſu Doctoris Angelici, quia poſito Ritu ſingulari, cum deberet argumento ſatisfacere, non recurrit ad Papæ ignorantiam, ſed ex continuatione Ritus affirmat tolerantiam Pontificis. Et ſimiliter in noſtro caſu, proportionaliter loquendo, non benè ſequitur: Prædicatorum Eccleſia hoc obſeruat in Miſſarũ ſolemnijs circa ſubſtantialia Rituum, & eo vtitur in Ciuitate Romana per annos etiam plurimos, *ergo Papa ignorat.* Sed infertur legitimè, *ergo Papa tolerat.* Præterea notamus, quomodo D. Thomas ſubmittit pro-

[i] D.Tho. 3. p. q. 27. ar. 2. ad 3.

prium iudicium auctoritati particularis Ecclesiæ, nec ausus est vllo modo singularitatem illius reprehendere: vt ex eo sapientiores intelligant, non debere audaciam arripere ad condemnandum Ritualia nostra: quia licet vnius determinatæ Ecclesiæ lineam non excedant, hoc sufficit, vt à quolibet speciali Doctore, quantumcumque erudito, nequaquam improbentur; sed debita veneratione afficiantur.

Tertiò pondero, quod licet expressa Papæ confirmatio requireretur in fauorem Officij Missæ S. Thomæ, hoc non obest: nam Officium diuinum computatur inter ea, quæ vniuersaliter loquendo, sine Pontificis beneplacito præualere non possunt; cum illud, & non aliud, habeat rationem talis Officij canonici, & Ecclesiastici, quod ab Ecclesia receptum, & approbatum manet. Itaque per transcursum longi temporis consensisse Pontificem iura omnia disponunt. Et hæc est conclusio verissima, quod [K] *quotiescumque ad validitatem actus requiritur Papæ confirmatio, ex diuturnitate temporis adfuisse probetur*. Aliàs quid valeret antiquitas? Quid cõsuetudo? Quid possessio? Quid gentium consensus? Posterior ætas gereret bellum irreconciliabile cum sæculis præcedentibus, & omnia ab illis asserta in examen vocaret, scrupulosè disquireret, & demùm ad proprij arbitrij tribunal deferret: quod nihil est aliud, quàm subuertere rerum ordines, media promulgatione legum longè ab eis distantium, quibus hominum commercium a principio moderatur. Vel cogitemus, quot sunt negotia maioris momenti, & magis præiudicialia, non ita attestata concorditer, aut inter ea reperta, quæ à Pontificibus concedi solent; tamen ex confirmatione præsumpta,

K Mascard. plur. refer. con. 416. n. 2. & 3 Gratian. plures referens. discept. for. tom. 5. c. 8, 3 n. 20.

pro-

propter transcursum temporis, totis viribus defendũtur. Nec de quamplurimis recitatis inter horarum solemnia à tempore antiquo possumus approbationem aliam, nisi de iure præsumptam exhibere. Quam sufficientissimam diffiniamus, aut sine delectu aliquo licentiam præstemus pernegandi multa in antiquis Breuiarijs contenta, & ex eo plenissimè comprobata, quia sunt vetustissima.

Quartò pondero doctrinam Episcopi Albertini,[l] iuxtà quam, & secundum veritatem, Pontifex nunquam dicit in singulari lectiones has in Breuiario recitandas approbo, sed vt recitentur inseruntur: Papa tolerat, & in vniuersali libros Officij diuini confirmat. Aliàs lectiones in specie confirmatæ transirent in vim Apostolici decreti, quod communiter nõ contingit, & tantum piè creduntur. Vndè constat, nos non posse compelli ad exhibendum approbationem determinatam Præfatij D. Thomæ, cum huius generis sacra præcisè indigeant tolerantia, & ea probetur, sicuti nos abundè probamus, per transcursum temporis, iuncta repetitione actus in publico. Prætérquamquod in Ecclesia Catholica maximè prohibitum est acta commentitia Sanctis attribuere, ex quo datur locus ad inferendum, quod *quotiescumq. & vbicumq. aliqua Sanctorum acta ab Ecclesia tolerantur, piè, & cũ securitate creduntur.* Et ideò Iuristę substinẽt,[m] *Sãctorũ legendas fidem facere.* aut in eis tolerãtia Ecclesiæ habita per longũ tempus nihil poneret auctoritatis, quod asserere non debemus, nec sine falsitate possumus.

Quintò pondero singularem allegationem Aymonis Crauettæ Iurisconsulti nobilissimi,[n] intendẽtis

[l] Albertin. de agnosc. prop. cathol. vel hæretic. q. 5. n. 18.

[m] Glo. in §. hæc autẽ tria, verb. Regijs vrbibus, in procem. ff. Purp. in l. 1. ant. fin ff. si cert. pet. n. 152.

[n] Crauet. de antiq. temp. 1. p. §. quid in libro Officialis, àn. 12.

tis ratiociniorum librũ cuiuſdam Monaſterij Fratrum Prædicatorum plenam probationem in iudicio facere: & obſeruabo circumſtantias illius negotij, vt ab hoc Doctore proponuntur ſuo ordine, primaque circumſtantia eſt hæc. *Fratres Prædicatores agentes produxerunt vnum inſtrumentum, licet minus ſolemne, continens negotium, de quo agitur, repertum inter ſcripturas, & papyros Notarij defuncti.* Nunc exhibemus ſermonem Pontificis, quamuis non integrum, & ſolemnem, repertum tamen in libro diuinorum Officiorũ, de quo libro nullus credet habere auctoritatem minorem, quàm illius Notarij vita functi, ſcriptitationes, & papyros. Secunda circumſtantia: *Quia fuerunt ipſi libri ſubſcripti per Reuerendum Patrem Prouincialem, & duodecim Religioſos ipſius Monaſterij: in qua re conſidero primùm qualitatem perſonarum vnius Prouincialis, pro quo maximè præſumi debet, ſicut dicitur de PræfectoPrætorio, quod pro eo adeò præſumit lex, vt noluerit ab eius ſẽtentia appellari poſſe. Secundùm, quod conſidero, eſt numerus ſubſcribentium, ex quo numero fortiter iuuatur probatio.* & omnes iſtæ veriſimilitudines inueniuntur vberius in probatione noſtra: quia non vnus Prouincialis cum aliquibus Fratribus ſubſcribit, ſed Capitulum Generale Ordinis, plures Magiſtri Generales, multitudo virorum ſapientum, & demùm Religio tota, cui fidem non præſtare, genus quodam proteruiæ, vel pertinaciæ eſt. Tertia circumſtantia: *Quia in libris dicti Monaſterij ſunt deſcriptæ ſolutiones à diuerſis Religioſis integræ vitæ, & opinionis modo defunctis, vt veriſimile non ſit, tot Religioſos vitæ inculpatæ mori voluiſſe in peccato falſitatis.* Quod vrgentiùs reperitur in caſu noſtro, quia eſſet infidelitas in diuinis

ef.

effundere preces mendacio maculatas, & Deo offensiuas, nullusque hac macula denigratus voluisset à vita discedere, sed conscientiam suam exoneraret, excogitato remedio. Demùm circumstantia vltima continet, *Quod talis liber habet veritatem non in aliquibus partitis tantùm, sed in plurimis, & pro maiori parte.* Quæ verba sine rubore non transcribimus; cum ratiociniorum liber, quia communiter verum continet, probat in singulari, de quo adest lis; Missalia autem, & Breuiaria, libros diuinos ad hunc gradum probationis peruenisse negatur.

Sextò pondero, quod licet elogium hoc reducatur ad infimum gradum probationis, qui potest excogitari, videlicet scripturæ priuatæ excludentis solemnitatem omnem: tamen in hac suppositione, ita cruda, & dura, facit probationem plenam, [o] quia *scriptura priuata longo tempore obseruata pro publica*, [p] *vel collocata ab antiquo in loco publico, meretur fidem integram, iuxta principia iuris.* Nec hoc dictum debet irrationabile iudicari, sed potiùs à validissima ratione oriri; cum talis scriptura vt priuata est, non probet: verùm quia pro publica fuit accepta, vel in publico per multum tempus sine contradictore affixa, habet pro se hominum plurimorum communem consensum, & ideò de illius veritate dubitare est idem, ac in discrimen ponere tot testium antiquorum fidem omnis exceptionis maiorem. Quapropter sermo iste laudatorius Diui Thomæ ab antiquo pro authentico reputatus, & nullo repugnante, in publicis, sacrisque ritibus insertus vsque ad tempora nostra, plenè probat, non vt fragmentum sermonis est, sed vt pro se habens cómune gentium suffragium à duobus ferè sæculis, vti po-

[o] Alex. cons. 138. col. 3. vers. idem voluit Io. And. de prob. Ant. de Butr. cap. 2. de fid. inst. col. 3. ver. octauus casus, Crauet. de antiqu. temp. 1. p. §. quartò limitatur, n. 14.

[p] Glo. in cap. cum causam, de prob. per tex. in cap. sanè, col. 2. 24. q. 2. & tenet Specul. tit. de prob §. videndum restat, vers. nono per libros, Bald. cons. 130. lib. 5. Decius consil. 135. post princ.

posteà videbimus, in hac veritate consentientium.

Septimò pondero impossibilitatem facti. Fingamus enim, si tam apti ad fingendum sumus, vniuersam nostram Religionem determinationem vltimam habuisse patrandi falsitatem hanc. Debebamus enim eam introducere, [q] *occultis primum sermonibus, vt vetita solent, mox vago rumore apud imperitissimi cuiusque promptas aures.* Quod enim delirium erat inserere in officio Missę manifestissima mẽdacia nostra? Statim cõprehẽderemur, diffamaremur, & irrideremur ab aduersarijs nostris. Quis credat antiquos illos latere potuisse huiusmodi opus fraudulentum? Et cum haberent in promptu media omnia inquirendi, & probandi veritatem, quis sibi persuadeat, magis eos tacere voluisse? Tunc etiam præualebant diuersarum scholarum digladiationes. nec de antiquo, sed de recenti mentiebamur. quare obmutuerunt? Et neoterici isti, vt quid ita serò non desinunt clamare? Tunc, tunc erat tempus eleuandi vocem, omnibusque notas faciendi cauillationes nostras. Per ridiculum è contra apparet, opportunitates temporum manumittere, post longaque sæcula annosam veritatem violenter inuadere. Expectent amplius, poterunt etiam dicere, me libelli huius scriptorem, hominem mendacissimum fuisse, auctoresque, in rerum natura nunquam inuentos, allegare, quia, omnibus Mundi Bibliothecis perscrutatis, nullus eorum inuentus est ab eis.

q Tacit. annal. 3.

Hoc argumentum semper vrget. & ideò, licet in materia minus digna, eiusdem formæ est cum altero contra Gentiles facto à [r] Theologis, vt probent incarnationem Christi Domini. Quia Saluator humani generis prædicabat, *Ego, & Pater vnum sumus*, & id, quod

r Theol. com. Ord. 3.p.D.Th.a 1.q.1

quod prædicabat, confirmabat miraculis. Gentiles videbant, intelligebant, eloquentissimi ad oppugnandum erant, pro inimicis se gerebant, & tamen tacuerunt. Nullus illorum dixit, scriptisuè mandauit, Lazari resurrectionem fuisse falsam, cœcum luminibus nō esse restitutum, aut quid simile. Itaque ex eorum vniuersali silentio prædicationem Euangelij vndequaq; verissimam aduersus eos planè conuincimus. Nec de sera, & tarda oppugnatione aliorum infidelium facta subsequentibus temporibus, curam gerimus.

Octauò, & vltimò pondero defensionem illam ab Aduocatis in iudicio vsitatam, quādo ad excludendū crimen à persona rei inquisiti, vel accusati, articulum formant, & testes recipiunt, honorificè deponentes de bono nomine, & fama eiusdem. Simile enim mihi in mentem venit, & volo facere quandam informationem iuridicam, ex tenore cuius publicè omnibus pateat modus viuendi, & procedendi Religionis S. Dominici; cum nec desint testes omni exceptione maiores, nec abs re videatur ob oculos aduersariorum ponere mores, & conditiones horum hominum, quos accusant. Dicta autem testium manent apud nos de mandato Papæ tradita, sub sigillo Notarij, & ita se habent.

Honorius III. confirmans Prædicatorum Ordinem, prophetico inquit spiritu: [f] *Nos attendentes Fratres Ordinis tui* (cum S. Dominico Patre nostro loquebatur) *futuros pugiles Fidei, & vera Mundi lumina, confirmamus Ordinem tuum.*

[f] Honor. III. apud S. Sabin. 2. Kalen. Ianuar. sui Pont. ann. 1.

Idem Honorius III. vniuersis Archiepiscopis, Episcopis, & Prælatis Ecclesiæ admodùm amandam Religionem nostram proponens: [t] *Cùm qui recipit Pro-*

[t] Honor. III. apud Lat. 4. Kal. April. Pont. ann. 5.

phetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiat: Vniuersitati vestræ viros Prædicatores Ecclesiæ sanctæ pernecessarios, pro eo quòd administrant pabulum verbi Dei, meritò commendamus, vt ex hoc mercedem vobis incomparabilem comparetis.

Idem Honorius III. indulgens Fratribus, quod in locis interdictis possint campanis non pulsatis, suppressa voce, & interdictis exclusis celebrare diuina in proprijs Conuentibus: [u] *Cùm nos, quibus incumbit specialiùs exaltare, ac fouere Religionem, & in suaui sanctæ vestræ institutionis odore plurimùm delectemur, conceptum deuotionis vestræ feruorem, singulari quodam affectu prosequimur, & aliquid vobis libenter ampliori dilectionis, & gratiæ impartimur.*

[u] Honor. III. dat. Anan. non. Martij Pont. an. 6.

Gregorius IX. commendans Fratres Prædicatores Ecclesiarum Prælatis, quibus simul præcipit, vt capiant, & puniāt quæstuātes nomine Ordinis: [x] *Quoniam abundauit iniquitas, & refriguit charitas plurimorum, ecce Ordinem dilectorum Fratrum Prædicatorum Dominus suscitauit. Qui non quæ sua, sed quæ sunt Christi quærentes, tàm contra profligandas hæreses, quàm contra pestes alias mortiferas extirpandas, se dedicarunt Euāgelizationi verbi Dei, in abiectione voluntaria paupertatis. Nos igitur eorum sanctum propositum, & necessariū ministerium fauore beneuolo prosequentes, vniuersitati vestræ ipsos affectuosè duximus commendandos.*

[x] Gregor. IX. apud Lateran. 6. Idus Maii Pont. ann. 1.

Idem Gregorius IX. prohibens, quod nullus Religiosus professus nostri Ordinis ab ea discedat, & discedentem, etiam auctoritate Apostolicę Sedis, nullus recipiat absq. Prælatorum suorum exhibita licentia: [y] *Cùm paupertatem, & vitam profiteamini regularem, insistentes ex pio, quem vobis Dominus inspirauit affectu,*

[y] Gregor. IX. apud Lateran. 8. Kal. Iun. Pont. an. 1.

euan-

euangelizationi verbi Dei, quo populus Christianorum numero, & merito ampliatur: auctoritate præsentium inhibemus, ne quis post Ordinis vestri professionem ab Ordine ipso sine Prioris sui discedat licentia; discedētem verò absque cautione literarum vestrarum, auctoritate alicuius priuilegij ab Apostolica Sede indulti, nullus audeat retinere.

Idem Gregorius IX. concedens Ecclesijs nostris, quod dicantur Conuentuales, & in eis ad opus Fratrum cimiteria libera: [z] *Cùm tanquam veri, & fideles Christi ministri, elegeritis vobis in domo Domini mansiones, dignum esse credimus, vt habitacula vestra inter alias honorabiles congregationes fidelium statuamus.*

[z] Greg. IX. Romæ apud S. Petr. 5. Id. April. Pont. an. 2.

Innocentius IV. nobis priuilegium indulgēs, quod non possimus conuenire per literas Apostolicas non facientes mentionem de Ordine nostro: [a] *Cùm iam per eius gratiam, qui, quæ Mundus abominatur, assumit, vestri titulus Ordinis adeò sit insignis, quod vix creditur ab his, qui contra vos literas impetrant, sine malitia subticeri: Nos & illorum obuiare fraudibus, & vestram innocentiam fauorabiliter confouere volentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, vt nequeatis per literas Apostolicas conueniri, quæ de hac indulgentia, & vestro nō fecerint ordine mentionem.*

[a] Innoc. IV. apud Later. 12. Kal. Februar. Pont. an. 1.

Idem Innocentius IV. liberans nos à solutione decimarum pro fructibus hortorum: [b] *Qui Deum tota mente diligitis, & animarum profectui continua diligentia desudatis, debetis ad condignam gratiam experiri promptam, & facilem Sedis Apostolicæ pietatem, &c.*

[b] Innoc. IV. apud Later. 3. non. Feb. Pont. an. 1.

Idem Innocentius IV. concedens, vt tempore interdicti etiam in alienis Ecclesijs priuilegiatis possimus diuina celebrare: [c] *Vobis assiduè Regnum Dei*

[c] Innoc. IV. apud Later. 6. Id. Febr. Pont. ann. 1.

quærentibus, id à Sede Apostolica dignè conceditur, per quod spirituale gaudium vestris cordibus oriatur.

Idem Innocentius IV. Fratribus nostris euntibus ad prædicandum in partibus Orientalibus præstans priuilegium, vt cum excommunicatis communicent: redeuntes ad Sedem Apostolicam per obedientiam absoluant: celebrantibus in excommunicatione, & ordinatis ante legitimam ætatem dispensationem largiantur: Apostatas reconcilient, & cum eis, qui cõtraxerunt matrimonium in gradibus prohibitis à iure Ecclesiastico dispensent: [d] *Patri luminum præstamus obsequium, & sui nominis procuramus augmentum cum vobis, & Fratribus vestris, quos in lucem gentium ipse tribuit, sic reddimur in benigno fauore propitij, vt vestra pia desideria felici possint facilitate compleсti.*

[d] Innoc. IV. apud Later. 9. Kal. Apr. Pont. ann. 1.

Idem Innocentius IV. in fauorem Fratrum Prædicatorum de mandato Papæ publicantium sententiam ab ipso Papa datam contra Federicum quondam Imperatorẽ: [e] *Humiles habitu, & affectu dilecti filij Fratres de Ordine Prædicatorum, se cælestis amore patriæ sic indissolubili vinculo astrinxerunt, vt hoc solùm pro delitijs habeant, quod per sanctitatis opera grati oculis diuinæ Maiestatis occurrant. De huiusmodi quidem vinculi virtute procedit, vt ipsi circa ea, in quibus diuini gloria nominis, & honor continetur Ecclesiæ, ac robur Ecclesiasticæ libertatis, ita perpetuò, & indefessò ducantur spiritu, quòd eis nulla formido possit obsistere, quin liberè facienda subeant, quæ de Apostolicæ Sedis circumspecta prodeunt voluntate. Nos itaquè gloriantes in Domino, quod ipse viris talibus suam muniuit Ecclesiam, qui mori pro Christo diligunt, & pati pro iustitia delectãtur, Fratribus eisdẽ præuia deliberatione solemni, sub certa forma cõmisimus, &c.*

[e] Innoc. IV. Lugduni 12. Kal. Ian. ann. Pont. 3.

Idem

Idem Innocentius IV. in Bulla canonizationis Sancti Petri Martyris, Familiam nostram laudans, in qua educatus vir iste Dei fuit: [f] *De horto siquidē Fidei nuper in mensam Regis æterni dulcis allatus est fructus. De vinea Ecclesiæ in Regium calicem affluens nouiter liquor influxit, quoniam facundus palmes hostili mucrone concisus, habuit plus humoris, quia cohæsit pressius nouæ viti. De Prædicatorum Ordine florido prodijt rosa rubens, quæ regalibus oblata conspectibus intulit suauitatem odoris. De huius Ecclesiæ fabrica electus est lapis, qui pressura, & tonsione politus decenter supernis ædibus est insertus.*

[f] Innoc. IV. in Bul. canoniz. S. Petri Mart. Perusii 9. Kal. April. Pontif. ann. 10.

Idem Innocentius IV. euntibus ad prædicandum in terris infidelium priuilegia multa de nouo præstās, & inter ea facultatem concedendi indulgētias: [g] *Vos igitur, quos, iuxtà professæ Religionis officium, zelus comedit animarum, & in quadriga quarta, quam varijs charismatum donis, & fidei fortitudine trahitis, vbiquè discurrere, ac vexillum Regis gloriæ procul leuare gestitis; ad gentes, quæ Iesum Christum Dominum non cognoscūt, & ad subtractionis filios, qui sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non obediunt, destinamus.*

[g] Idem Innoc. IV. Assisii 10. Kalen. Aug. Pont. an. 11.

Alexander IV. decernens, quod Lectores Theologiæ in Conuentibus deputati legere possint absq. alia licentia: [h] *Exultante spiritu frequenter aduertimus, quòd status Ecclesiæ generalis per vestræ prædicationis, ac doctrinæ salutaris instantiam, diuina gratia suffragante, multipliciter illustratur.*

[h] Alexan. IV. apud Later. 5. Kal. Apr. Pont. an. 3.

Idem Alexander IV. contra detrahentes Ordini Prædicatorum, & Minorum Fratrum S. Francisci Patris nostri, excommunicationis sententiam promulgans: [i] *Cùm igitur ijdem Ordines fuerint dudum à Sede Apostolica, sicut sacri, & conspicui, approbati, ex quibus*

[i] Alexan. IV. apud Later. 3. Kal. Apr. Pont. ann. 3.

Digitized by Google

bus iam nonnulli Fratres ad supremam prouecti Patriã, in Sanctorum numerum sunt adscripti, & velut eminẽtia candelabra, & duo magna luminaria in Ecclesia Dei luceant, ac ab ipsorum Fratribus, & cultoribus sacræ doctrinæ lumen diffundatur vbiq. per Orbem; Christi Euangelium ardenter, & efficaciter prædicetur, ac recta, & sana consilia, & exempla salutaria præbeantur. Cùm etiam dicti Fratres sacræ Scripturæ, ac verbi Dei studio, & animarum profectibus, necnon diuinis Officijs, & orationibus instanter, & incessanter intendant, nequaquam marcentes ocio, sed opere se optimo, & potissimo exercentes, cum sapientia opus existat maximum, nec sint digniores, qui operantur exterius, quàm qui studium cognoscendæ veritatis exercent. Propter quod euidenter apparet, eos non solùm in statu saluandorum existere, sed etiam perfectorum: & per suæ regulæ, & Religionis obseruantiam, quæ quidem ipsius perfectionis Euangelicæ tenet formam, in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri, &c.

Idem Alexander IV. indulgens, quod Magister Generalis, Priores, & eorum Vicarij possint absolui ab eisdem casibus, à quibus ipsi alios absoluere possunt: [K] *Ordinis vestri generosa plantatio, quæ multæ religionis, & honestatis flores, & fructus protulit, longè, effuso, lateq. laudabilis conuersationis odore, nos prouocat, vt salutifera vestra commoda, fauore beneuolo prosequentes, tranquillitatem vestram, quantum cum Deo possumus, foueamus.*

K Alex. IV. Viterb. x. Kal. Apr. Pont. ann. 4.

Martinus IV. facultatem præstans Fratribus nostris ad prædicandum, & confessiones fidelium audiẽdum: [l] *Ad fructus vberes, quos in agro Dominico prædicando verbo pariter, & exemplo, confessiones audiendo, &*

l Martin. IV. apud vrbem veterem 4. Id. Ian. Pontif. anno 1.

per

per alia virtutum exercitia sacer Ordo vester, & humiles ipsius Ordinis professores produxerunt hactenus, & in futurum sperantur, Deo auspice, producturi, &c.

Nicolaus IV. decernens exemptionem Ordinis ab Ordinariorum iurisdictione, expresséque determinans eundem Ordinem, ac personas eiusdem, Ecclesias, Oratoria, & loca, soli Romano Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, absquè vllo medio subiacere. Quod priuilegium ita maximum nunquam alicui Religioni ex Mendicantibus concessum inueni, licèt apud Militares Religiones præualere potuerit: [m] *Dum infra mentis arcana reuoluimus, quod Ordo vester in agro Dominico, superna dispositione plantatus, vberes in horreum Domini fructus infert, quodquè salutis commoda grandia ex vestra sollicitudinis studio, quod laudabiliter continuare satagitis, fidelium proueniant animabus, dignum, & rationi conueniens arbitramur, vt vos, dictumque Ordinem opportuni fauoris prosequamur auxilio.*

[m] Nicol. IV. Reatæ 5. Kal. Aug. Pont. anno 1.

Bonifacius VIII. confirmans eandem exemptionem, videlicet, [n] *Ordinem supradictum immediatè, nulloque medio, eidem Sedi, & soli tantummodò Romano Pontifici subiacere debere*, sequens contexuit encomium. *Inter cæteros Ordines, quos cælestis agricolæ summa benignitas in horto plantauit Ecclesiæ, sacrum vestrum ordinem, iam per Orbis Prouincias, superna gratia propagante diffusum, dum minori fungeremur officio syncera charitate dileximus, ad statum eius fæliciter promouendum, solicitis studijs intendentes, &c.*

[n] Bonifac. VIII. apud S. Petrum, 6. idus Maij. Pontif. ann. 2.

Idem Bonifacius VIII. concedens, quod Monasteria

ria Monialium sub cura nostri Ordinis sint libera à solutione decimarum. [o] *Laudabilis sacra Religio, quæ in Monasterijs vestris, à vobis, & personis alijs in eis degentibus, sub onere voluntariæ paupertatis iugiter colitis, sic à vobis mundanæ dissolutionis relegauit illecebras, vt, inter alia, claustralibus abstinentiæ nexibus religata, puritate fulgeatis obseruantiæ Regularis, & voluntatis libitum coarctantes omninò, sub obedientiæ debito dignam, & sedulam exhibeatis Domino, seruitutem.* Quæ verba, licet de Sororibus dicta, in Fratrum honorem cedere, vti de eis curam gerentium, non ambigitur.

[o] Bonifac. VIII. apud Vrbē veter. 15. Kal. Aug. Pōtif. an. 3.

Benedictus XI. Indulgentiam vnius anni, & quadraginta dierum præstans visitantibus Ecclesias nostras in Festis Beatæ Mariæ Virginis, Sancti Dominici, Sancti Petri Martyris, & Patroni Ecclesiæ cuiuslibet. [p] *In Ordine Fratrum Prædicatorum, quasi Solis radijs, habitantibus in hac lachrimarum valle, lux eruditionis elucet, dum ipsius Ordinis professorum fructuosa studia, mentes fidem orthodoxam confitentium fragiles, in tenebris erroris, inimici hominis sugestione illapsas, lumine veritatis illustrant, & spinas punctionis lætiferæ, in horto succrescentes Dominico, nouacula labiorum succidūt, in quibus æternæ sapientiæ gratia est diffusa.*

[p] Benedictus XI. apud Later. ibid. Feb. Pontif. an. 1.

Ioannes XXII. præstans iudices conseruatores Ordini nostro. [q] *Magistrum, & Fratres Ordinis Prædicatorum, qui in virtutum Domino militantes, & crucifigentes cum vitijs, & concupiscentijs carnem suam, ad Diuinæ Maiestatis obsequium pietatis Apostolicæ vbera complectentes, &c.*

[q] Ioan. XXII. Auinion. 6. Kal. Martij, Pontif. an. 13.

Idem Ioannes XXII. cum propter rebellionē, quam Pasani, & aliæ Ciuitates, aduersus Romanam Ecclesiam assumpserunt, sub Ludouico de Bauaria hæretico,

co, destructi essent Conuentus nostri Sancti Miniatis, & Montis Politiani, concedit loca cōmoda pro eis, & in concessione nos ita laudibus honorauit: [r] *Sacer Ordo tuus in agro Dominico, diuina dispositione plantatus, eo vt latiùs diffundatur per Orbem, ab Apostolica Sede meretur attolli, quo ipsius professores erga Sedem ipsam per ingentis deuotionis constantiam, & bonorum studia operum, ad robur, & munimentum Fidei orthodoxæ se exhibent plus deuotos.*

[r] Io. XXII. Auinio. 8. Kal. Mart. Pontif. ann. 13.

Clemens VI. concedens Indulgentiam vnius anni, & quadraginta dierum omnibus visitantibus Ecclesias nostras in festo, & octaua Sācti Thomæ. [s] *In Ordine Fratrum Prædicatorum, quasi Solis radius in hac lachrimarum valle lux eruditionis relucet, dùm ipsius Ordinis professorum fructuosa studia, mentes fidem orthodoxam profitentium fragiles, lumine virtutis illustrant, & spinas punctionis lætiferæ horto succrescentes Dominico, nouacula labiorum succidunt, in quibus æternæ sapientiæ gratia est diffusa. Attendentes igitur, quod Ordo prædictus in horto plantatus Ecclesiæ, ac in germen ineffabilis spiritualis vtilitatis succrescens, illum prælucidum, ac fructuosum palmitem, Beatum videlicet Thomam de Aquino Confessorem, ac Doctorem egregium, (ex cuius sapientiæ, & doctrinæ scriptis, & traditis, vniuersalis Ecclesia multiplicis vbertatis spiritualis fructum colligens, ipsius fructus odore reficitur incessanter) produxerit. Et quòd idem Ordo, vt spiritualium fructuum vbertatē multifariam multiplicet, non lassatur labore: & propterea dignum, quinimò debitum reputantes, vt Ordo prædictus in eadem Ecclesia longè, latèque diffusus, ob honorem, & reuerentiam prædicti Doctoris almifici, ac præfati Ordinis præclara merita, per Sedem Apostolicam spiritua-*

[s] Clemens VI. Auinion. idus Febr. Pontif. an. 2.

libus foueantur præsidijs, & à cunctis vbiquè, qui Christiana professione censentur, deuotione congrua multipliciter honorentur, vniuersitatem vestram rogamus, &c.

Bonifacius IX. recipiens Ordinem sub protectione Sedis Apostolicæ, & liberans à solutione decimarum quorumque possessionum nostrarum, quæ tunc habebamus, & in posterum haberemus, sine limitatione: [r] *Alij quoquè feruentioris spiritus ardore succensi, non timentes, sed amantes, ad conuersionem infidelium anhelant intrepidi, vt valeant ad Dominicam aream multos afferre manipulos, & de talentis eis creditis bonam Domino reddere rationem. Hi profectò sunt Fratres Ordinis Prædicatorum, in Ecclesia Dei multiplicibus splendoribus radiantes, quorum sonus prædicationis per diuersa mundi climata noscitur exiuisse. Hi sunt, quos Deus numero multiplicauit, & meritis, quibusq; sicut & alijs benè currentibus in stadio Militantis Ecclesiæ, æternum brauium elargitur. Quapropter de ipsis curam vigilem gerimus, vt eos in his sanctis operibus nil impediat, vel perturbet, &c.*

[r] Bonif. IX. Romæ apud S. Pet. 5. Kalen. Maii Pontif. anno 13.

Eugenius IV. determinans, quòd nullæ literæ Apostolicæ intelligantur esse contra Ordinem, vel Fratres, nisi in eis expressa fiat mentio de illis. Hoc priuilegium est amplissimum, & si alia Religio Mendicantium obtinuit quid simile, exhibito exemplari non fuit ita difficilè obtinere: [u] *Sacræ Religionis sinceritas, sub qua mundanis abiectis illecebris, verbum etiā Dominicum per diuersa Mundi climata prædicando, & pluribus virtutibus, ac fructuosis operibus dietim multiplicando, deuotum, & sedulum exhibetis Altissimo famulatum, non indignè meretur, vt petitionibus vestris, illis præsertim, quæ vestrum commodum, quietem, & trā-*

[u] Eugen. IV. Florētiæ 5. Kal. April. ann. Incarn. 1439 Pont. ann. 9.

quil-

Digitized by Google

quillitatem conspicere dignoscuntur, quantùm cum Deo possumus fauorabiliter annuamus.

Idem Eugenius IV. Vicario Societatis Fratrum nostrorum peregrinantium inter gentes multa concedens priuilegia circa prædicationem verbi Dei præcipuè, & confessiones audiendas: [x] *Plantatus olim in agro Ecclesiæ vester Prædicatorum Ordo, sic à suis primordijs, gratia operante diuina, laudabilibus incrementis, præsertim sub regularis vitæ studio successiuè proficit, quòd assiduè flores perferens copiosiùs honestatis, & producens vberiùs fructus vitæ, inter alia plantaria Dominica, puritate conuersationis, scientiæ dono, & virtutis merito, tàm contra profugandas hæreses, quàm contra pestes mortiferas criminum aliorum extirpandas, doctrinæ magisterio, & euangelizatione verbi Dei, dignoscitur specialiter insignitus. Vndè Nos in agro ipso cultores, licèt immeriti, à Domino deputati, eundem Ordinem grandi prosequi fauore proponimus, & exaltationem ipsius, quæ robur fidelium, & infidelium clarum lumen existit, iugis diligentiæ studio multipliciter procurare.*

[x] Eugen. IV. Flor. pridie Idus Aug. ann. Dom. 1439 Pontif. sui 9.

Nicolaus V. confirmans omnia priuilegia à suis prædecessoribus nobis concessa: [y] *Licèt ex debito Summi Pontificatus officij, desuper iniuncti, circa quorumlibet fidelium, præsertim mundanis abiectis illecebris, sub regulari habitu Altissimo famulantium, omnium profectus, vtilitates, & commoda, nos deceat intentos existere, Ordinem tamen Fratrum Prædicatorum, eiusquè pro tempore Religiosos, tantò potioribus fauoribus, & gratijs confouere satagimus, quantò illorum scientia, virtutibus, & fructuosis operibus, etiam ad Fidei Catholicæ conseruationem, & incrementum, ad diuini nominis laudē, & gloriā, id cōspicimus in Domino salubriter expedire.*

[y] Nicol. V. apud S. Pet. 8. Id. Apr. an. Dom. 144 . & Pōtif. sui ann. 1.

Idem Nicolaus V. approbans, & confirmans consuetudines à nobis receptas intra Religionem nostram, vt diximus superius: [z] *Ad vitam laudabilem, ac diuersarum præsertim sacrarum literarum scientiam admirabilem, necnon virtutes alias plurimas, ac opera fructuosa, quibus Religiosi Ordinis Fratrum Prædicatorum, etiam ad laudem, & gloriam diuini nominis, Fideiquè Catholicæ conseruationem, & augmentum, ac plurimorum fidelium animarum salutem, continuò pollere noscuntur, nostræ dirigentes considerationis obtutum, illa libenter eis concedimus, atquè in eorum fauorem statutũ salubrem ordinamus, &c.*

[z] Nicol. V. apud S. Petr. ann. Incarn. 1449. 7. Id. Mart. Pont. ann. 3.

Sixtus IV. in Bulla, quæ vocatur Mare magnum, ex Gregorio IX. refert: [a] *Dilectis filijs Magistro, Prioribus, & Fratribus vniuersi Ordinis Prædicatorum, salutem, & Apostolicam benedictionem: Virtute conspicuos sacri vestri Ordinis professores, qui contemplationi cælestium feruenter inuigilant, & piæ vitæ studio sine intermissione desudant, decet per Apostolicæ circumspectionis auxilium, sic prouidè dirigi, & sollicitè confoueri, vt alicuius prætextu calumniæ nullum internæ pacis excidium, nullumquè* Religiosi *status perferant detrimentum.*

[a] Sixt. IV. apud S. Petr. ann. Dom. 1474. Pont. an. 4.

Idem Sixtus IV. postquam Gregorij, & Martini, & Eugenij prædecessorum suorum Bullas referret, sic ex proprijs concludit: [b] *Nos igitur, qui dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum, & personarum eius statum prosperum, & tranquillum, propter vberes fructus, quos Ordo ipse multa præfulgens gloria meritorum, & gratia sanctitatis, in agro Militantis Ecclesiæ in propagationem Fidei Orthodoxæ hactenus produxit vtiliter, ac producit, & in futurum producturum fore spe firma tenemus, pal-*

[b] Sixt. IV. in eadem Bulla.

Digitized by Google

mites suos à mari vsq. ad mare, & etiam ad barbaras extendendo nationes, intensis desideramus affectibus, &c.

Idem Sixtus IV. in Bulla, quæ vocatur aurea, multaque sub eodem contextu priuilegia continet in fauorem duarum Religionum S. Dominici, & S. Francisci Patrum nostrorum: [c] *Sacri Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordines, instar duorum primorum fluminum, à cœlestium voluptatum, & amœnitatum Paradiso egredientium, sacrosanctæ vniuersalis Ecclesiæ terram, ne mundanarum cupiditatum, & vitiorum calore arescat, præclaræ doctrinæ, virtuosorum operum, ac multiplicium meritorum imbribus irrigantes, magis, ac magis illam in dies fructuosam efficiunt: Hi sunt duo Seraphin, qui in sublime contemplationis, & Seraphici amoris alis eleuati, à terrenisq. rebus abstracti, assiduo diuinarum laudum clamore, & immensorum beneficiorũ humano generi à Summo Opifice Deo exhibitorum declaratione, feruentissimis prædicationibus populos instruendo, & ad cœleste iter dirigendo insistentes, multiplicata talenta eis credita, Domino suo mundæ segetis (animarũ scilicet Redemptoris nostri Iesu Christi pretiosi sanguinis effusione redemptarum) copiosos in horrea Sanctæ Ecclesiæ manipulos referunt. Hi sunt duæ tubæ, per quas Dominus præcipit, ad pabulum sacri Euangelij, vniuersum populum assiduis prædicationibus aduocari, vt in omnẽ terram exiret sonus eorum, & redderent sibi populum acceptabilem, & bonorum operum sectatorem. Ad prædictorum igitur Prædicatorum, & Minorum Ordines, quos pro eorũ amplissimis meritis, & vberrimis fructibus, quos in Ecclesia Dei continuè afferunt præ cæteris, paterna charitate diligimus, nostræ considerationis intuitum dirigentes, &c.*

[c] Sixt. IV. apud S. Petr. 7. Kal. Aug. ann. Dom. 1479. sui Pont. 8.

Leo

Leo X. communicans Ordini nostro omnia priuilegia aliorum Ordinum Mendicantium, & cum in tempore istius Pontificis initium habuerit impietas Lutherana, insinuat quomodo se gesserint Fratres in oppugnando eam: [d] *Cùm inter cæteros operarios, qui ad excolendam vineam Domini Sabaoth vocati sunt, Ordo Prædicatorum magnos, & probitatis, & doctrinæ, & animarum salutis fructus semper olim attulerit, quotidièq. afferre cernatur, deceatq. vt etiam in hac vita, pro tot suis sanctis studijs, honestisq. laboribus, ab Apostolica Sede, cuius nostris quoq. periculosis temporibus pacem, ac dignitatem Ordo idem fortiter tutatus est, spiritualia subsidia ornamentaq. accipiat, &c.* Posteaquè iterauit Leo paginam eandem sub eisdem verbis laudatorijs in priuilegio apud Sanctum Petrum die 21. Iunij anno Domini 1510.

[d] Leo X. apud Sanctum Pétr. die 22. Nouembr. anno Dom. 1513. Pontific. 1.

Clemens VIII. confirmans omnia Ordinis nostri priuilegia, emanata à prædecessoribus suis: [e] *Volens igitur vniuersum Ordinem Fratrum Prædicatorũ, ex quo vberrimi in eadem Dei Ecclesia fructus ad ipsius Omnipotentis Dei laudem, & Christianæ Reipublicæ spirituale commodum, & vtilitatem ab ipsius Ordinis initio semper prodierunt, & in dies prodibunt, &c.*

[e] Clem. VIII. Tusculli die 5. Oct. ann. Dom. 1604. Pont. sui 13.

Præter acclamationes has valdè nobiles, sunt aliæ plures, quas consultò omittimus, ne in longum fastidium sermo protrahatur. Sed tamen in Constitutionum nostrarum prologo est quædam pro nobis excellentissima Alexandri IV. Pontificis attestatio, quã omittere quoquo modo non potuimus, & ita se habet: [f] *Cælestis ille Agricola, summus auctor fidei, præcipuusq. Protector, sacrum Fratrum Prædicatorum Ordinem, quasi lignum fertile in Ecclesiæ Paradiso inseruit, vt de-*

[f] Alex. IV. relatus in Const. Prædic. pag. 1.

delectaret amœnitate, et vbertate satiaret, et fructuũ suauitate mulceret. Hoc itaquè speciosum, fœcundum, ac dulce lignum, imbre superno irrigatum, pulchra, plurima, ac dulcia poma profert, quorum odore, ac sapore confortantur, & conualescunt debiles, varijsq. detenti languoribus liberantur. In hoc vtiquè vitæ ligno mortales homines, carnis infirmitatibus prægrauati, pabulum salutis inueniunt, & internam recipiunt sospitatem. Huius, inquam, ligni percepta fragrantia, vndiq. ad libamen ipsius concurrunt innumeri professores Fidei, qui assiduè illo perfruentes, & eius salutaribus fructibus conuescentes, de ipsius prægustata dulcedine ministrant, & ipsi alijs suauia libamenta salutis. Hæc est illa generosa plantatio, quæ ramos suos vndiq. expandens, flores plurimos honoris, & honestatis, fructusq. vberrimos doctrinæ profert, & virtutis, & odorem sanctæ, ac laudabilis conuersationis longè, latèq. diffundit. Hic est Ordo sacer Prædicatorum honestate floridus, præclarus scientia, virtute fœcundus, à Sede Apostolica meritò approbatus, qui inter alia plantaria Dominica, puritate conuersationis, sapientiæ dono, & virtutis merito dignoscitur specialiter insignitus. Huius sacri, clari, conspicui, & approbati Ordinis Fratres sacrarum Scripturarum studio instanter incumbunt, animarũ profectibus, diuinis Officijs, & orationibus incessanter intendunt, atquè euangelicæ prædicationi ardenter insistẽtes, lumen diuinæ doctrinæ vbiquè per Orbem diffundunt. Hi sunt viri doctrina clarissimi, qui contemplationi cœlestium feruenter inuigilant, & piæ vitæ studio sine intermissione desudant. Hi sunt viri probati, & plenè in lege Domini eruditi, efficaces quidem in opere, & in prædicatione potentes, quorum labia gratia cœlestis edocuit ad propinandam salubrem doctrinam alijs, & cõmodum, ac

pro-

Digitized by Google

profectum animarum Christi Fidelibus exponendum. Vndè vbique per mundum ora ipsorum intonant, veluti tubæ, ac in omnem terram exit sonus prædicationis eorum, & vsque ad fines Orbis sua salutifera verba sonant. Hi sunt viri præclari, conspicua Religione fulgentes, qui tanquam lucentia sydera in Ecclesiæ fundamento, suis splendidissimis documentis viam cælestis vitæ mortalibus insinuant. Hi sunt phialæ aureæ plenæ odoramentis, qui sua sacra conuersatione suauiter redolentes, hortantur per hanc alios, & inducunt à somno negligentiæ celeriter surgere, & excussa prorsus inertia, ad opera lucis, & bonitatis festinanter properare. Hi sunt dilecti Deo, & hominibus, morum honestate conspicui, scientiæ titulis insigniti, quos æterni Patris benignitas; inter plurimas personas Diuinis obsequijs deputatas, pro sui nominis attollenda gloria, & fidelium procuranda salute, specialiter elegit, qui suum semper affectum ad amorem cælestium dirigentes, virtutem Diuini nominis vbique publicant, & pro Christianæ Religionis ampliando cultu, vigili attentione, laborarunt. Hi sunt, qui vitam, & merita Beati Pauli Apostoli contemplantes, gloriantur in sola cruce Domini Iesu Christi, & mundi pompas, ac solatia spernentes, ad solam cælestem Patriam, & ad Paradisi delitias, recta intentione, suspirant. Hi sunt, qui propter Deum semetipsos salubriter abnegantes, elegerunt sub arctissima paupertate Deo deseruire, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Hi postremò sunt, qui cum omnia terrena propter amorem bonorum cælestium reliquerint, sobriè, iustè, piè, & castè viuentes, ac exilia vitæ subsidia mendicantes, Christum pauperem imitantur, perfectionem euangelicam amplectendo. Vndè clarissimè constat, eos in statu perfectionis existere; & per suæ Religionis obseruantiam, quæ quidem ipsius

Digitized by Google

Euangelicæ perfectionis continet formam, in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri.

Ecce mores Religiosorum, quibus imputatur execranda falsitas in Diuinis. Ecce iudicium vigens de eorum vita laudabili apud Apostolicam Sedem. Ecce existimationem honoris erga ipsos à Pontificibus Summis attestatam. Cum igitur sit ° *vnum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam, nam contemptu famæ, contemni virtutes*: interrogo, quæ vtilitas, ita magna, potuit repræsentari Fratribus nostris, occasione cuius, tot conquisitos honores, tot veracitatis suæ testimonia, virtutibus maiorum parta, salute, sanguine, vitaquè, aucta, & conseruata, voluerint ad fortunæ iactum exponere? ita famam, rem inæstimabilem, inconsideratè proijciunt? ita bonum nomen, auro præstantiùs, conculcarunt? ita nemo est, qui consideret? nemo, qui recogitet? & inter aduersarios, vel zelantes, nemo, qui apprehendat? Imò ita difficilè est Diuum Thomam rationibus defensare, qui vniuersalis Ecclesiæ existit defensor eximius? Ita necessarium erat, sollicitos esse de oppugnationibus ab hominibus inferioribus factis, modo contrario, & cum formidine partis aduersæ, vt in discrimen adducerent defensionem propriam apud Vicarios Iesu Christi? Ita schola Diui Thomæ, ambiens fucatam gloriam, mentitur, cum sit inter omnes nobilissima, antiquitate præstans, discipulis abundans, Concilijs commendata, iudicioquè Pontificum præstantior? Fortè cogitant aduersarij, desudare nos sub argumentorum suorum onere? Si cogitant, sciant, in hoc temperamenti gradu, circa rationes ab eis excogitatas, sua reuerentia salua, nos viuere, quòd

° Tacit. annal. 4.

Digitized by Google

omnium earum [p] *memoriam cum voce perdidissemus, si tàm in nostra potestate esset obliuisci, quàm tacere.*

p Tacit. Agricol.

Non igitur Religionem nostram accusent de falsitate hac impracticabili, cum ipsa procedens in via veritatis Euangelicæ, à deliramentis huiusmodi longissimè distet: & adhibita diligentia, iuxta dissidiorum naturas, perpetuò procuret, cooperire domum suam vndequaquè, non tegulis vitreis, sed æneis.

Pro defensione autem Missalis, & Breuiarij in præsenti hæc sufficiant, dum occasione ex prædictis accepta, sapientiores Fratrum hanc meam maximam ruditatem, dignissimis suis scriptis supplere, vel meliorare constituunt.

Iudicium ferendum de hoc Elogio Thomistico.

NOn de vulgaribus, aut communiter contingentibus videtur negotium hoc, cum in eo concurrant consuetudo in Ecclesia recepta, laus Doctori suo denegata, & Familiæ Prædicatorum veracitas offensa. Vndè non immeritò, [a] *Omnes, qui harum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod inchoatur Reipublicæ vtile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certè non arduum sit.* Iuxtà quam regulam consiliãdi scire desidero, ex huius elogij denegatione, quàm vtilitatem consequatur Christiana Respublica? Scriptores nouiter eam negantes, quàm gloriam? Et an sit in promptu denegatione mediante, illud delere?

a Tacit. histor. 2.

Nam

Nam in primis. Si Reipublicæ conuenit, quod hæc propositio, *impugnantes Diuum Thomam sunt de veritate suspecti*, sit propositio falsa: hæc erit vera, *impugnantes Diuum Thomam suspicionem veritatis non incurrunt*. Statimque faciam argumẽtum: Ille impugnat Diuum Thomam impugnatione propria, qui affirmat eum malè, & improbabiliter scripsisse, quia huiusmodi impugnatio contradictoria est. Ergo Reipublicæ nostræ vtilitas ponitur in eo, quod scripta Diui Thomæ, vt improbabilia damnentur. Et posteà subsumã. Sed spiritus prædictæ impugnationis hæreticalis est, vt supra ostendimus. Ergo ponimus bonum Christianæ Reipublicæ cum hæreticis commune. Vndè, ni fallor, satis euidenter constat, quod elogium acceptum, vt accipi debet, in suo proprio, & legitimo sensu, qui est contradictorius, nõ denegatur sine dispendio boni communis, quia pertinet ad bonum Ecclesiæ defendere Sanctorum scripta ab imputatis erroribus, & aduersus imputantes arma correctionis assumere.

Similiter, circa particularem gloriam ex hac denegatione acquisibilem, aliud non inuenio, nisi quod [b] *arguentibus ad perniciem plus fidei fuit*. legitimoque [b] Tacit. ann. 3. sensu reiecto, & [c] *prõptis animis ad noua*, cum [d] *cætera* [c] Tacit. ann. 5. *palàm vana obiecissent, adiungere crimen* voluerunt. Et [d] Tacit. ann. 15. tamen solertiam laudarem, si aliquo modo intelligerem, eos hoc elogio præiudicari. Sed cum verba Põtificis curantis de fidelium directione, & eapropter reprehendentis impugnationem in sensu contradictorio, malè ab his torqueantur in sensum contrariũ: non possum non reprehendere, vel negligentiam in interpretando vel in accusando excessum, & vtrumque extra omnem rationem gloriæ considerare.

Digitized by Google

Sed an sit in promptu, virtute denegationis, elogium delere, si benè perpenderis, inuenies, necessariã esse magnam copiam atramenti, siquidem apud omnes nationes præualuit verbum hoc. In ipsa Romana Ciuitate prædicatur, & in Horis Canonicis continetur, & in libris innumeris recensetur, & vbicumque Diui Thomæ nomen sonat, simul auditur. Nec supprimere laudes reputatur inter possibilia, quando [e] *magna aliqua, ac nobilis virtus, vicit, ac supergressa est vitium, paruis, magnisque ciuitatibus commune, ignorãtiam recti, & inuidiam*. Præterquamquod Deus optimus maximus, qui in Ecclesia sua Doctorem Diuum Thomam collocauit, est vigilantissimus custos honoris illius. Ab vlloque Catholicorum neutiquam suspicandum, in dispendium existimationis istius Domini fidelissimi, & omnipotentissimi, quòd ipse aliquando derelinquat amicos suos in manus hominum, vt perdant honorem eorum. Imò potius hæc est conditio Dei, oppugnationibus turbulentissimis omninò superatis, seruare charissimos sibi gloriosiores. Ità testatur Diuus Gregorius Nazianzenus, de Fratre suo Beato Cæsario, post Iuliani Apostatæ insidias elusas, verba faciens; [f] *Ad vos* (inquit) *reddit exul Beatus, & victor incruentus, atque ob ignominiam clarior, quàm ob splendorem, & gloriam*. Omittimusque, quòd etiam in humanis, quando merita notissima sunt, si laudem coerceas, eò magis mouentur homines ad laudandum, vt per quandam imaginem iustitiæ vindicatiuæ iniuriam propulsent, indeque verissimum faciant, quod [g] *negatus honor gloriam intendit*.

e Tacit. Agricol.

f Nazianz. ora. 20.

g Tacit. ann. 4.

Quibus sic breuiter meditatis, nec potest controuersia hæc ab aduersarijs reduci ad quæstionem de

pro-

Digitized by Google

propoſitione dubia, quaſi impedire volentes, ne ſub prætextu alicuius ſenſus boni, alij diſſoni, & ſeditioſi latenter ſerpant. Quia ſi ad propoſitionem dubiam pertinet elogium, in dubio debebat eligi ab interpretibus pars benignior, & fuit electa rigidior, & durior, vlterius, quando aliqua propoſitio dubia apparet, prius debet diſtingui, & poſteà, diſtinctione facta, iudicari. quia ſi nō diſtinguimus, & ſenſus adeſt duplex, eadem ratio ſe offert ad reprobandum, quàm ad approbandum. & in condemnatione abſoluta inconuenit venire integrum illud totum, cuius aliqua pars bona eſt.

Præterea. Tunc aliqua propoſitio habetur dubia, quando generat ſenſum pendulum inter duo extrema. Sed verbum *impugnare* eſt analogum, ſupponens pro ſignificato principaliori. Ergo quotieſcumque impugnantes Diuum Thomam notantur à Pontifice de ſuſpicione veritatis, tantùm notati intelliguntur, qui modo contradictorio impugnant, & non alij.

Tum vltra, quia [h] *in his rebus practicis, quando adeſt modus congruus ſaluandi verba, debemus ponderare inconuenientia.* Et ex conſeruatione huius elogij nullum imaginabile præiudicium infertur alicui, niſi facta, & ſuppoſita ſiniſtra interpretatione. At verò ex denegatione illius, officium canonicum Prædicatorum denigratur. innumeri libri doctiſſimorum virorum corriguntur. conſuetudo, traditio, & poſſeſſio ducentorum annorum, receptæ à Fidelibus, paruipenduntur. & Pontifices toto hoc tempore tolerantes, aliquo modo de omiſſione culpabili arguuntur. Quibus inter ſe benè collatis, videtur, ſi elogium deleas, quòd ſal-

[h] Nota.

ſaltem ſis [i] *grauior remedijs, quàm delicta* imputata *erant*. Si autem conſeruare deſideres, [k] *vetera nouis, & quieta turbidis antehabere*, gloriaberis. Quam rationem aliquando ponderatam audiui, & accepi à Magiſtrorum Magiſtro [l] Fr. Andræa Carrillo, de hac materia, occaſione data, paternaliter mecum colloquente: viro certè annumerando inter antiquiores, & primos Ordinis noſtri Patres; quorum ſocietate deſideratiſſima iam iam in cœlis fruitur. Sed in inferioribus terræ, [m] *quidquid ex illo amauimus, quidquid mirati ſumus, manet, manſurumque eſt in animis hominum, in æternitate temporum, fama rerum.*

[i] Tacit. ann. 3.
[k] Tacit. ann. 1.
[l] M. Andræa Carrillo.
[m] Tacit. Agricol.

Tùm denique, quia aliqua propoſitio ex eo ſolet congrua iudicari, quia à pluribus, & præſtantiſſimis Theologis ſuſtinetur: & tunc credimus verum aliquod factum antiquum, quando hiſtoriographi fide digni illud referunt: ſed ſic eſt, quòd elogium hoc à Theologis, & Hiſtoriographis pluribus, & præſtantiſſimis, traditur: ergo iudicare illud congruum debemus, ſecundùm Theologos, & de facto prolatum à Papa, ſecundùm Hiſtoricos. Maior præmiſſa iſtius argumentationis eſt vera: tùm propter illud iuris principium, quòd [n] hominibus peritiam habẽtibus alicuius artis, & declarantibus in materia illius, fides præſtatur: tùm quia loquendo de auctoritate Theologorum, quando plures concordant in aliquo, eſt doctrina Diui Thomæ, [o] quòd abſq. vllo periculo eos ſequimur, & de hiſtoricis credendis Iuris Interpretes [p] concordant. Conſequentia eſt bona, & ad probationem minoris præmiſſæ tantum reſtat elogij huius certitudinem auctoribus ſuis comprobare, iuxta quorum dicta, inferius referenda.

[n] l. 1. C. de ventr. inſp.
[o] D. Tho. quodl. 3. q. 4. art. 10.
[p] Caſſan. in catal. glo. mun. par. 10. conſ. 46. verſ. in tantum, Maſcar. de prob. cõſ. 287. Gratian. diſcept. for. tom. 5. c. 893. nu. 6.

No-

Digitized by Google

Notamus primò elogium extitiſſe admiſſum ab omnibus, ſine controuerſia aliqua, vſq. ad tempora noſtra.

Secundò notamus, quòd conſequentia illa, *impugnantes D. Thomam ſunt de veritate ſuſpecti: Ergo Scotiſtæ, Durandiſtæ, Benturiſtæ, & Nominales ſunt de veritate ſuſpecti*, nunquam venit in Thomiſtarum mentē, ſed excogitata nuper fuit ab illo [q] homine, cuius ſcriptitationes vniuerſas Inquiſitio Romana damnauit, & fuit primus inter negantes hoc elogium. Non tamen eum nominare volumus, cum familiam ipſius reuerenter amemus, factum notiſſimum ſit, & ex eo quòd propriam ſcholam, inter nominatas ab ipſo, non expreſſerit, ſatis ſe ipſum prodat.

[q] In memor. ad Iudices veritatis, impreſ. Barcinonæ anno 1626.

Tertiò notamus, Scriptores Ordinis noſtri eſſe teſtes idoneos in hac cauſa, quia ſunt plures numero, & dignitate, & cum eis multi extranei concordant. Quare fides vnius teſtis [r] roboratur ab alijs teſtibus, & omnes ſimul iuncti faciunt probationem pleniſſimam. * Non enim per tot annos cōſpirarunt, vt poſteros ſuos fallerent. Nec etiam, aduerſarios noſtros ſaltem, fallere potuiſſent, cum ita expediti ad cōtradicendum ipſi ſint, quòd duobus ſæculis tranſactis Miſſalibus noſtris, ſcriptoribus plurimis, conſuetudine, & Eccleſiæ tolerantia fauentibus, elogium negent. Promptiùs ergo negarent ante tot teſtium, & probationum apparatus. Et nos è contra, ſi in his ipſis diebus vltimis, iudicio impugnantium, non poſſumus, nec fingere media huius elogij probatiua: quomodo in limine, & initio cauſæ, Miſſalibus non recitantibus, Scriptoribus tacentibus, conſuetudine, & tolerantia Eccleſiæ non adſtantibus, ita aſtutisſimi ad fingendū

[r] Ex tex. in cap. inſuper. de teſtib. vbi DD. communiter.

* Lipſius cent. 1. miſcell. epiſt. 50. ibi. De fide veterum cur ambigimus? an fallere nos voluerunt de compacto? nec potuerunt quidē in re, omnium oculis, ſenſibuſq. expoſita.

fui-

fuimus. [r] *Nisi fortè rebus cunctis inest quidam, velut orbis, vt quemadmodum temporum vices, ita mores vertantur.* & aduersarij gaudebant tunc simplicitate, & bonitate, nos nunc.

[r] Tacit. annal. 3.

Quartò notamus, quòd licèt sermonem Pontificis prædicantis hoc elogium non exhibeamus nos, tamē omnes ferè scriptores concordant ab Innocentio VI. prolatum fuisse. Nec mirum sermones omnes illius deperditos esse temporum iniuria, sicut & etiam alia plurima scripta celeberrima perierunt. Quo casu fauet maximè iuri nostro testimonium asserentium, prędictum Pontificem scripsisse sermones aliquos: circa quam rem in Bibliotheca Posseuinus loquens de Innocentio VI. inquit: [t] *Fertur aliquos sermones scripsisse, quos tamen ipse non vidi.*

[t] Posseuin. tom. 2. Bibliot. f. 101.

Quintò, & vltimò notandum duximus, nullum inconueniens oriri ex diuersitate aliquali reperta inter nonnullos scriptores infra citandos, quatenus eorum pauci attribuunt hoc elogium Innocentio V. [u] cæteri Innocentio VI. Quia saltem conueniunt omnes in eo, quòd à Papa emanauit. Et vt testes plenè probēt, sufficit conuenire in vnum, & eundem rei finem, licèt in alijs discrepent: quia stat benè, vniuersos consentire in attribuendo Pontifici elogium, discordare verò in indiuiduo circa personam. Itaque obiectione hac, & alijs, vt non vrgentibus, consultò prætermissis, auctores pro nobis facientes sic se habent.

[u] l. qui sententiam, vbi Bald. C. de pæn. no. in l. diē proferre, §. plures, ff. de arbit. & Oldr. & Bald. in l. 1. C. si vnus ex plur. appell. Tac. lib. 4. hist. ibi: Pecunia nuper etiā donatiuo suffecit, quod siuè à Vespasiano, siuè à Vitellio datum interpretari maluitis, ab Imperatore certè Romano accepistis.

Magister *F. Iacobus Aegidius* quondam Prouincialis suæ Prouincię Aragoniæ in Hispania, posteà Magister sacri Palatij, [x] vir insignis eruditionis, qui scripsit librum vnum de sanguine Christi, alterum de veritate Conceptionis, & de mandato Calisti III. Officium

[x] Fr. Iacob. Aegid. Mag. Sacr. Palat. de verit. Concep. rat. 11.

Trans-

Transfigurationis, quod recitamus hodie in tota Ecclesia Dei, vt ex historijs nostris hæc omnia apparẽt, in prædicto libro de veritate Conceptionis, sic inquit: [y] *Innocentius Papa, in sermone B. Thomæ, qui incipit, Ecce plusquàm Salomon hic: ita dicit: Huius Doctoris sapientia præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatẽ sententiarum, ita vt nunquam, qui eam tenuerit inueniatur à tramite veritatis deuiasse, & qui eam impugnauerit, semper fuit de veritate suspectus.* [z] *Iacobus Aegidius* floruit anno Domini 1447. habemusque librum eius editum Mediolani anno sequenti 75. per annos viginti sex, antequàm Bandellus in Generalem eligéretur, & per quinquaginta quatuor antecedenter scriptum, & asseruatur in Conuentu nostro Sancti Spiritus de Neapoli, vbi ego vidi, & legi.

[y] Mich. Pio de Viris illustr. Ordin. p. 2. lib. 3. f. 27.

[z] Idem Mich. Pio de Viris illust. vbi supra.

Lambertus de Monte Doctor Louaniensis, [a] qui floruit anno 1490. solet citari pro hoc elogio in prologo tractatus de anima editi in lucem anno 94. sequenti. Sed codicem inueni primis chartis per vetustatem consumptis. Itaque Lambertus idem videndus est in fronte sui libri de Cœl. & Mundo, Coloniæ prelo dati anno 1498. vbi apposuit D. Thomæ imaginem, & infra illam:

[a] Lamber. de Monte in lib. de Cœl. & Mund.

Qui fueris cupidus Sophiæ mox carpere flores,
Scripta Thomæ Diui perlege, doctus eris.

Et ad latus imaginis: *Innocentius Papa in sermone, cuius thema est, Ecce plusquàm Salomon hic, de S. Thoma de Aquino, sic inquit: Huius Doctoris Doctrina præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita vt nunquam, qui eum tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiasse, & qui*

eum impugnauit, semper fuit de veritate suspectus. Asseruatur Codex in Conuentu Regali nostro S. Dominici de Neapoli, vbi vidi, & legi.

Fr. Gabriel Barelete in libro sermonum de Sanctis, in editione Lugdunensi anno 1539. in sermone Diui Thomæ propè finem inquit: [b] *Innocentius in sermone, Ecce plusquàm Salomon hic. Huius Doctoris sapientia præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita vt nunquàm qui eum tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiasse, & qui eum impugnauit, semper fuit de veritate suspectus.* Sed notandum, [c] istum Auctorē floruisse anno 1471. per spatium triginta annorum ante Generalatum Bandelli: & ideò testimonium hoc, non à tēpore impressionis sermonum, sed à prædicatione eiusdem computandum esse.

[b] M. Fr. Gabr. Barelete.

[c] Mich. Pio de Viris illust. Ord. p. 2 lib. 3. f. 61.

F. Baptista Vincentius de Nonolino Ordinis Sācti Patris nostri Francisci, dùm prelo daret sermones Aquilani nostri, & dicaret eos consobrino suo F. Antonio Ceppolino eiusdem Ordinis, publicauit librum impressum Venetijs anno Domini 1509. cum prologo Brixiani, in quo reperitur scriptum: [d] *Quid de Angelico Thoma? quem diuinum rectiùs appellare fas est, quippè qui vires humanas superasse censeatur. Cuius nempè doctrina tanti à quouis facienda est, quòd qui ei refragari voluerit, semper sit, vt ait Innocentius, de veritate suspectus.* Ex quo apparet, Vincentium istum vixisse in eadem ætate cum Bandello nostro, habuisseque opportunissimum tempus, & occasionem, si aliqua lateret falsitas, manifestandi, & reprobandi eam. Sed non solùm non reprobauit, verùm elogium D. Thomæ in lucem gentium edidit, quod est non leue argumentum.

[d] Fr. Baptista Vincentius de Nonolino Franciscan.

Digitized by Google

tum suæ certitudinis. Ego autem inueni librum Aquilani in nostro Conuentu S. Petri Martyris de Neapoli, & portaui in Conuentum etiam nostrum S. Mariæ super Mineruam Ciuitatis Romanæ, vbi adest nunc.

F. Petrus de Bergomo in Tabula aurea operum Sancti Thomæ, edita Venetijs per Ioannem Rubeum anno 1497. post epistolam dedicatoriam, inquit: [e] *Commendatio doctrinæ Sancti Thomæ de Aquino per Apostolicam Sedem. Innocentius Papa in sermone, qui incipit: Ecce plusquàm Salomon hic. De doctrina Diui Doctoris Sancti Thomæ de Aquino sacri Ordinis Fratrum Prædicatorum, sic ait. Huius Doctoris sapientia præ cæteris, excepta canonica, proprietatem habet verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita quod nunquam, qui eum tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiasse, & qui eum impugnauit, semper fuit de veritate suspectus.* Et notanda sunt duo: primùm, quòd Petrus de Bergomo vita functus est anno 1484. vt in hoc suæ Tabulæ libro apparet pag. 4. vndè constat, testimonium illius præcessisse prælaturam Bandelli ad minus per decem, & septem annos. Secundò notandum, quod hæc eadem Tabula fuit impressa Romæ cum omnibus operibus Sancti Thomæ de mandato Sanctissimi Pij V. testificantis in Bulla præliminari de exactissima correctione horum librorum, & immediatè ad Bullam Papæ adest hoc Innocentij testimonium, literis grandioribus scriptum, vt ferè incredibile sit Pontificem ignorasse: ne dicam, tempore suæ professionis monasticæ, intra Religionem nostram, cantasse illud pluriès in Præfatio Missæ, illis diebus præualescente, vndè habebat maiorem causam inspiciendi, recognoscendi, vel etiam improbandi.

[e] M. Petrus de Bergomo.

Syluester de Pierio eximius Theologiæ Doctor, & sacri Palatij Magister, in libro sermonum, nominato, *Quadragesimale aureum*, sermone 5. de Diuo Thoma habet hæc verba, illius doctrinam laudans: [f] *Quinta dignitas, quòd fuit vera, siuè firma. Dices, à multis impugnatur, quomodò ergo est vera? Respondetur. Felicitas semper subiecta est inuidiæ: ergo sola miseria caret inuidia, dicebat Socrates. & Ouidius in primo de remedio amoris:*

[f] Syluest. de Pierio Mag. sacr. Palat.

Summa petit liuor, perflant altissima venti.

Sed tamen in rei veritate est verissima doctrina, cum fuerit per tot testimonia fidelissima approbata. Primò per prophetiam Sancti Hieremiæ, & per signum diuinũ, ipso Thoma tenẽte chartam cum Aue Maria. Secundò, quia orationis studio impetrata. Tertiò, quia ei datum fuit thema diuinitùs: Rigans montes de superioribus suis. Quartò, quia ei apparuit Petrus, & Paulus, instruentes eum de Scriptura. Quintò, quia virgo. Sextò, quia iterũ Paulus. Septimò, quia Christus dicens, Benè scripsisti de me Thoma. Mendacẽ igitur Dominũ facit, qui Thomã malè scripsisse dicit, quem Christus benè dixisse declarauit. Octauò, nã Ecclesia approbauit, idest Vrbanus, & Innocent. Codex sermonum Syluestri satis vulgaris est, & vidi, & legi in Conuentu S. Dominici Regalis de Neapoli, Venetijs impressum, per Lazarum de Soardis, anno millesimo quingentesimo quinto decimo, quando Auctor ipse in maiori sua ætate florebat.

Aliud tamen testimonium referam hoc loco, quia antiquitatem illius determinare non possum, sed meo videri habet efficaciam maximam ad probandum Elogium Diui Thomæ, cuius veritas historialis in facto consistit. & hoc testimoniũ est [g] *deuotio frequens po-*

[g] Populi deuotio in Regno Neap.

populorum Regni Neapolitani, vbi à plurimis annis vtũtur Fideles quibusdam imaginibus Doctoris Angelici in folijs papiraceis excussis, & consueuerunt infra imaginem scribere, literis minutis, Missæ Præfatium, prout à Pizamano refertur. Ego habui ex his imaginibus vnam in Ciuitate Romana, alteram posteà in Ciuitate Auersana, & tertiam demum in Neapolitana. Quia tamen pluries fecimus mentionem huius Præfatij, illud transcribere volui, & est tenoris sequentis. *Equum, & salutare, nos tibi semper, & vbique gratias agere Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus. Et cum tuæ inuocatione virtututis, Beati Thomæ Doctoris, atque Confessoris tui solemnia, deuotione præcipua celebrare. De cuius vita, atque doctrinæ integritate fructus in Ecclesia tua efflloruit, qui cælestis sapientiæ munere nos repleuit. Hic nempè genere nobilissimus, Prophetarum, atque Apostolorum, & Phisicorum doctrinis refertus, diuina, atque humana sapientia sancti Spiritus illustratione eruditus, carnem cum suis blanditijs, mundum cum vitijs, dæmonem cum insidijs omnibus, mirabili sapientia superauit. O felix, & inclitus Doctor, qui sua vniuersos doctrina errores destruxit, & orthodoxam Fidem firmissimis præsidijs protegit, ac defendit. Huius doctrinà tanta præfulget veritate sermonis, vt qui eam tenuit, à veritatis, ac rectæ Fidei tramite deuiasse nunquam fuerit inuentus, & qui eam impugnauit, semper habitus sit de veritate suspectus. O certam, præclarissimam, atque excellentissimam doctrinam, cui veritatis præcones gloriosissimi Petrus, & Paulus Apostoli tui, & inclita semper Virgo Maria, cum Filio tuo Domino nostro Iesu Christo, pro Mundi salute crucifixo, & vniuersalis, atque Apostolicæ Ecclesia testimonium perhibent veritatis. O sapientia lucidissimum*

spe-

Digitized by Google

speculum: vniuersalis Ecclesiæ lumen præfulgidum: candelabrum insigne, ac lucens: ignorantium tenebras perlustrans, & hæresum latebras, scientiæ claritate, demonstrãs. O stellam splendidissimam, & matutinam Mundi huius tenebras illustrantem. Lætetur igitur Ecclesia tua Deus noui huius Solis irradiata splendore. Prædicatorum sacra Religio, tanti luminis illustrata fulgoribus, iucundetur, & plaudat. Religiosorum deuotio concrepet. Doctorum turba complaudat. animentur ad studia iuuenes. prouecti non torpeant. senes delectentur in illis. Omnes in humilitate proficiant. singuli contemplationem non deserant, sed mandata Dei seduli exequantur, & compleant. Pro huius igitur gloriosissimi Doctoris Thomæ Aquinatis honore, & gloria, hodie maiestati tuæ festa persoluimus, & gratiarum, ac laudum hostiam immolamus, & ideò, &c.

h Fr. Bartholomeus de Spina Magist. sacr. Palat.

[h] *Frater Bartholomæus de Spina Magister Sacri Palatij*, coætaneus Eminentissimi Cardinalis Caietani, in præfatione ad secundam secundæ Diui Thomæ, laudans Doctorem Sanctum, & Cardinalem prædictum, quo viuente, sub hac inscriptione edita est: *Venerandi Fratris Bartholomæi de Spina, Pisani, Ordinis Prædicatorum, in commendationem sequentium operum, & auctorum.* licet non habeam transumptum huius testimonij, nisi in impressione Lugdunensi facta anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, sumptibus Benedicti Boyerij, vbi sequentia adsunt. *Quidquid dubietatis, quidquid scrupuli, satore diabolo, pullulat in Ecclesia, Thoma iudice constituto confestim dissoluitur, ac vanescit. Omne per Thomam Ecclesiasticum dogma firmatur: roborataquè sanctiones persistunt. Quis æuo nostro, imò quis post huius Solis ortum, optimus Logicus, Philosophus, Theologus euasit, qui non Diui Thomæ firmissimæ sapientiæ au-*

xilium

Digitized by Google

xilium implorauerit? Quisnam doctus, aut fœcundus concionator ambonem ascendit, qui non à Thoma mutuet, quæ populum erudiant, ac inflamment? Quis cathedram venerandus Doctor insedit, cui non Thomas (si tamen vera doceat) sapientiæ certitudinem subministret? Quis deniquè scholasticum certamen adoritur, qui non se priùs Thomæ armis accinxerit? Nec immeritò quidem. Cuius namquè sapientiam Christus per se approbat, Beatissima Virgo collaudat; Petrus, & Paulus edocent, & commendant: Vniuersitas Parisina miris effert præconijs: Summus Antistes Vrbanus sectandam proponit, & amplexandam præcipit. Quis non veretur, amplexetur, extollat? Pijs loquor auribus, quibus supernaturalia, vocataq. miracula, veridicis nihilominùs adstructa testibus, & ab Ecclesia celebrata, nedùm non decipiunt, sed oblectamento sunt, roburquè afferunt veritati. Oranti, suppliciterq. deprecanti Thomæ, ante Crucifixi imaginem, vt de sua doctrinæ soliditate certior fieri mereretur, voce patenti per os imaginis, nonnullis Fratribus, qui Diuum Doctorem orantem obseruare consueuerant, audientibus, respondit Christus, Benè scripsisti de me Thoma. Hoc ipsum aliàs Beatissima Virgo, per os itidem suæ imaginis, quæ coràm Sanctus orabat, apertissimè protestata est. Beatissimi item Senatus Apostolici Principes Petrus, & Paulus de passu dubio Prophetæ eundem pleniùs personaliter instruxerunt. Et per se ipsum aliàs Paulus (vt Fratri in spiritu rapto videre, audireq. concessum est) eidem Diuo Thomæ percunctanti, si in epistolis suis clarum habuerit intellectum? respondit: Quantum queat humanus capere intuitus. Pluribusq; alijs diuinis reuelationibus, dùm adhùc in humanis ageret, quod nosse cupierat de doctrinæ suæ firmitate, quam & in scriptis re-

de-

Digitized by Google

degerat, assecutus est. Sed deniq. post eius felicem ad superos transitum, ab Vniuersitate Parisina, dùm lucidissimis syderibus esset coronata, tàm celsæ laudis est cumulis ob sanctitatem, atq. sapientiam eximiam glorificatus, vt omne penè genus, modumq. commendationis excedat, simul ac per patentes literas explodens articulorum quorumlibet Sancti Thomæ doctrinæ, vel in modico aduersantium, assertionem. Innocentius quoq. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsul Diuum hunc Doctorem in eo sermone, quem in ipsius præconio edidit, in sapientia Salomoni prætulit, ac eius doctrinam præ cunctis post canonicam commendabilem approbauit, &c. In quibus verbis sermonẽ Innocentij auctor iste agnouit, & pro parte transcripsit. Verum est, quòd clausulam de suspicione veritatis contra impugnantes subticuit, sed forsan fecit, quia ipse Marte proprio ęquè eos coercet, & ideò volui omnia illius verba, immediatè sequentia, reponere hùc: *Vrbanus deniq. & is summus Antistes, Doctorem hunc Angelicum miris effert laudibus, eiusdem sapientiam, ac doctrinam, nedùm approbans, & confirmãs, vti de cælo lapsam, verùm & vniuersitati Tholosanæ præcipiens, vt eandem sectentur, & studeant pro viribus ampliare. Vndè factum est, vt tot laudum titulis sublimatus Doctor hic sanctissimus, meritissimè lumen Ecclesiæ peculiariter appelletur; & is idem etiam, præ cunctis Doctoribus haud iniuria nominetur Doctor Angelicus. Angelus quippè fuit hic in terra innocentissima vita, ingenij, ac intellectus altitudine, vt his ipsis excellentiæ gradibus quosque transcenderet positus in sublimi. Lumen item Ecclesiæ fulgentissimum extitit, ad cuius præsentiam, pulso nunc ab ea hæresum omnium cæco nubilo, feliciter eidem Domino deseruiret. Nec tamen mi-*

Digitized by Google

mirum, si splendori huic tenebræ se opponant, ac tandem impugnare contendant. Humana quippè conditio infelicitati non modicum est obnoxia ex prima corruptione peccati. Quod sanè factum est, vt semper veritas, & itidem bonitas paucos habuerit possessores. Neq; tamen sanctissimi huius Doctoris aliquid suæ gloriæ deperit in hoc, etiam nostræ peregrinationis tempore, ob quorumlibet etiam aduersantium infestationem. Quinimò veluti per ignem probatum aurum, sapientia illius ab insipientibus ex hoc impugnata præualens, eminùs fulget. Eiusdemq; Doctoris sanctissimi omnifariam cumulata celebritas creuit in immensum. Sed & oppugnationis huius ratio in oppugnati gloriam cedit. Apud clarissimos siquidem viros innotuit, hoc ipsum ex sapientia illius eminentia sumpsisse originem. Tàm celsam quippè doctrina illius sedem obtinuit, vt nonnisi ab eleuatissimis ingenijs, acutissimisq. luminibus valeat penetrari. Qui fit, vt hi, qui vel se sibi credunt tantummodò, vel interioris prospectus viuacitate priuantur, dùm excelsum hoc sydus sit eis inaccessibile, in ipsum, quasi canes in Lunam, ad vesaniæ suæ manifestationem, ineptos latratus emittant. Historiæ etiam nostræ [i] tradunt de hoc Auctore, floruisse anno salutis 1517.

[i] Mich. Pio de Viris illustr. Ord. lib. 3. p. 2. f. 121.

Henricus Politus de Sena, cognominatus posteà *Catharinus*, [K] occasione cuiusdam miraculi facti in beneficium ipsius, per intercessionem Sanctæ Catharinæ Senensis, etiam fatetur verum testimonium hoc sermonis Innocentij, quamuis eum proponat in argumentis, sed contra, ad respondendum. Quodquè magis est, quamuis homo ipse esset, tàm particulari genio, & ingenio gaudens, vt impugnando maiores se, solatium assumeret, siquidem D. Thomam impugnauit.

[K] Enric. Catharin. pro immacul. Cõcept. Virg. pag. 51

uit. [l] contra Magistrum Dominicum de Soto scripsit apologiam quandam, contra Cardinalem Caietanum librum vnum: & quia ante ingressum nostræ Religionis Iurisprudentiæ fuit studiosus, contra celebratissimum, & acutissimum Iuris Interpretem Baldum librum alterum. Tamen posteà non semel fuit visus vbertim plorare, & pœnitentiam facere omnium harum rerum, quia sine dubio fuit vir sua ætate illustris: circa personam propriam austerus, & pauper: circa alios misericors: in Concilio Tridentino satis celebris: in Ecclesijs, quas administrauit, insignis Antistes: & aliquando habuit pro auditore suo, & discipulo Pontificem Iulium III. in minoribus viuentem; is enim in tractatu pro defensione Conceptionis, inquit sic: *Recipimus & nos præclarissima summorum virorum testimonia de eius doctrina, & quod quidam Pontifex de illo testatus est, obseruatum esse, nullum vnquam eius impugnasse doctrinam, qui non fuerit de veritate suspectus, facilè comprobamus.*

l Circa omnia hæc videndus Mich. Pio de Viris ill. Ord. par. 2. libr. 4. fol. 118.

Mag. Ludouicus Viualdus in tract. de veritate contritionis ad Principem Salernitanum, prelo dato Parisijs anno Domini 1517. pag. 98. [m] *Etiam Innocentius Papa in sermone, qui incipit, Ecce plusquàm Salomon hic; loquens de Sancto Thoma de Aquino, ita inquit; Huius Doctoris sapientia præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita vt nunquam qui eam tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiasse; & qui eam impugnauit, semper fuit de veritate suspectus.*

m Mag. Ludouic. Viuald. in Biblioth. S. Dominici de Neap. inuenies.

Pater Petrus de Ribadeneyra sanctissimæ Religionis Societatis Iesu, vir planè pius, doctus, & etiam ex eo felix, q. a vidit florétissima suę cœlestis Familię princi-

ci-

cipia, Ignatio Patriarcha vitam Angelicam in terris agente, ibi: [n] *Pero mucho mas graue testimonio es el, que dan de Sancto Thomas los Summos Pontifices, y la Silla Apostolica, que es Maestra de la verdad. El Papa Innocencio Sexto en vn sermon de sus alabanças dice, la sabiduria de este Doctor mas que las otras, fuera de la Canonica, tiene propiedad de palabras, modo en el decir, verdad en las sentencias, de tal manera que quien le hà seguido, nunca se hallò apartado de el camino de la verdad, y quien le hà impugnado, siempre hà sido sospechoso de ella.*

[n] P. Ribadeneyr. in vitis SS. PP. die 7. Mart. de vita D. Thom.

Magister Seraphinus Caponi de Poreta, filius Cōuentus S. Dominici de Bononia, literis, & virtute notissimus, dum Diui Thomæ doctrinam sincero animo laudaret, inquit sic; [o] *Ante omnia se offert ad præmissam conclusionem efficaciter corroborandam Summus ille Pontifex Innocentius, qui in sermone, Ecce plusquàm Salomon hic, pro Diuo Thoma sic testatum reliquit. Huius Doctoris sapientia præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita vt nunquam qui eam tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiasse, & qui eam impugnauit, semper fuerit de veritate suspectus.* Floruit Seraphinus anno Domini 1599. & plenus dierum vita functus fuit sepultus in suo Conuentu Bononiensi.

[o] Seraph. Poret. init. tio 1. par. tract. de altitud. Thomæ doctrinæ.

Vniuersitas Salmantina omnis generis literarum Princeps, omnium studiosorum Mater, omnis nobilitatis, ac virtutis Magistra, vbi iurisprudentia imperat, medicina viget, eloquentia floret, Theologia autem per inuiolatam Sanctorum Patrum reuerentiam eminenter resplendet, in quodam memoriale ab ipsa

Vniuersitate Doctorum, simulquè à duabus sacris Religionibus Dominicana, & Augustiniana subscripto, ibi: [p] *La misma seguridad de doctrina nos diçe Innocencio IV. por estas palabras: Huius Doctoris sapientia præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita vt nunquam qui eam tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiasse; & qui eam impugnauit, semper fuit de veritate suspectus. Y no pudiendo la emulacion de estos tiempos sufrir esta alabança, no han faltado escritos, en que se han atreuido à negarla, sin mas fundamento que deçir, que tan eminente alabança no cabe en Sancto Thomas, ni en otro Doctor Catholico. Replica, que no mereçia respuesta, pues si valiese negar todos los escritos de loç Sanctos, que en contrario se oponen, no abria ninguno seguro en el mundo.*

[p] Vniuersit. Salm. in memorial. §. 3. art. 3. n. 12.

Religio etiam sacratissima Diui Francisci Patris nostri, bonis exemplis cumulata, sapientia superna eminens, gratia omnium virtutum nitens, ac Deo, & hominibus insigniter accepta, inquit sic in alio suo memoriale: [q] *El testimonio de Innocencio es verdadero, hablando de su doctrina en comun, que de bajo de esa raçon la aprueba el Pontifice por catholica, y verdadera. Y el apartarse de ella, en esa conformidad, es huir de el camino de la verdad, que es necesario para la salud de el alma, y conduce à la vida eterna.*

[q] Religio P.N.S. Francisci in suo memorial. respōsiuo præced. ar. 1. §. 3. n. 7.

Sapientissimus Antistes, & æquè venerabilis Episcopus Baruastrensis *Hieronymus Baptista de la Nuza,*

cui

cui, adhuc iuuentutem agenti, dictum fuit à Beato Ludouico Bertrando habere à Deo datum ſpiritum interpretãdi Scripturas diuinas. ibi. [r] *Caliſicola por tan ſegura el Papa Innocencio Sexto; que le da el primero lugar deſpues de las eſcripturas Canonicas, y ſagradas, con aquellas palabras, que abrian de baſtar para los que ſe precian de Catholicos, y hijos de la Igleſia. Huius Doctoris ſapientia præ cæteris, excepta canonica, proprietatem habet verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, ita quod nunquam, qui eum tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiaſſe, & qui eum impugnauit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus. Ved como aſegura el Vicario de Chriſto aquien ſigue à eſte Angel Raphael, certificandolo, que irà ſiempre por el camino de la verdad pura.* Nunquam qui eam tenuit, inuenitur à tramite veritatis deuiaſſe. *Aſi aperciue aquien ſe aparta de el, que por el miſmo caſo que lo hiciere, ſin mas conſulta ſe puede dar por ſoſpechoſo en la verdad.* Qui eam impugnauit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus.

[r] M. Lanuza tom. 1 homil. in cenſur. oper. §. 5.

P. Didacus Granados Societatis Ieſu meritiſſimus filius, dùm promisſionem facit amplectendi doctrinam D. Thomæ in ſcriptis ſuis omnibus, exarauit ſequentia: [ſ] *Digna etiam ſunt, quæ in hoc loco referantur verba Innocentij in ſermone, cuius initium eſt, Ecce pluſquàm Salomon hic; & referuntur in principio* Tabulæ *operum S. Thomæ. Huius* (inquit) *Doctoris ſapientia præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, ita vt nunquam qui eum tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiaſſe, & qui eum impugnauit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus.*

[ſ] P. Granad. tom. 1. in 1. p. D. Tho. in præfat. n. 10.

MA.

Digitized by Google

Magister Ioannes Auila Prædicator Maiestatis Catholicæ Philippi III. posteà Episcopus Ciuitatis cognominatæ *de Sancto Domingo*, sub his verbis: [t] *El Sũmo Pontifice Innocencio Vicario de Christo en la tierra, en aquel sermon, que hiço en alabança de este glorioso Sancto, aplicandole aquellas palabras, que Christo nuestro Redemptor dijo de si mismo: Aduertid, que este es mas que Salomon: vino à decir, que quien siguiere à este sancto Doctor, lleua camino seguro; y el que se apartare de el, queda sospechoso en la verdad.*

[t] Auil. lib. 2. histor. Mexican. c. 70.

Dominus de Monroy inter Hispaniæ Nobiles satis notus, & inter discipulos D. Thomæ vbiquè celebratus, dum Sanctorum Patrum authoritatem zelo Dei defenderet, inquit sic: [u] *Solo referire las recomendaciones, y aprobaciones de los Pontifices, y seguire el orden de los tiempos. Es la primera, y mas celebre de Innocencio VI. Huius Doctoris doctrina præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum; ita vt nunquam qui eam tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiasse; & qui eam impugnauit, semper fuit de veritate suspectus. Ni se hà de oir la calumnia de los que hazen apocrifo el testimonio, fundandose en que no le refieren los Escritores de el Orden de Sãcto Domingo. Lo primero, porque es argumento negatiuo, y porque solo prueba su negligencia de los que han escrito; supliola con su diligencia el P. Ribadeneyra en la vida de Sancto Thomas. Y el, y Ambrosio Catharino, que tambien le admite, hazen mas fee, que las historias de casa, y que los testimonios de los amigos, &c.*

[u] Dom. de Montroi in apolog. de auctor. Sanct. c. 9.

M. Bartholomæus de Medina, scientia, & virtute conspicuus, Cathedraticus primarius Vniuersitatis Salmantinæ, & de primis Magistris Theologorum Hi-

Digitized by Google

Hispaniæ, agnouit etiam Sancti Thomæ elogium, vbi inquit: [x] *Innocentius Papa in sermone de eius laudibus, illum cum Salomone in sapientia confert, & proprietate verborum, ac veritate sententiarum, post scripturas Canonicas, collaudandũ putauit.* [y] Floruit Auctor iste anno millesimo quingentesimo septuagesimo tertio nostræ salutis.

[x] Mag. Medin. in 3. p. D. Tho. inter elogia D. S. in princ.

[y] Mich. Pio de Viris illust. lib. 4. fol. 283.

[z] *Religio Sacra Carmelitanorum Discalceatorum*, obseruantia Regulari, & studio sacrarum literarum, magis, ac magis in dies resplendens, siquidem in ea, tanquam in viuente quadam imagine, spiritus igneus sapientiæ Diuæ Teresiæ micat: comprobat, amplectiturque sermonem Innocentij, hoc tenore verborum: *Nec minus eandem doctrinam commendat Innocentius VI. cuius verba notatu dignissima, hæc sunt. Huius Doctoris sapientia præ cæteris, excepta Canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum: ita vt nunquam, qui eam tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiasse. & qui eam impugnauit, semper fuit de veritate suspectus. Quid illustrius in huius doctrinæ commendatione? Quidque aduersus eius impugnatores terribilius? Sanè iuxta Pontificis Maximi testimonium, quisquis Diui Thomæ doctrinam impugnauerit, ipsemet prædictæ suspicionis notam sibi inuret.*

[z] Curs. Salmant. to. 1. in p. 1. D. Tho. orat. exort. & in Cõplut. ad princip. Logic.

Sed quia, in sanctæ Inquisitionis Tribunali, semper veritas illibata præualet, & Domini Inquisitores perpetuò inuigilant, ne aliquis error circa cõsonantiam, & bonitatem doctrinæ, latenter irrepat, conuenientissimum duxi inserere in hoc loco præclara verba *Reuerendissimi Magistri Augustini Cermelli* Inquisitoris Ferrariensis, qui quidem eloquenti oratione, dum D. Thomæ doctrinæ applaudet, inquit: [a] *Ad hunc igitur*

[a] Mag. Augustinus Cermellus Inquisitor Ferrariensis in lib. encomiorum, sub tit. Sol Ecclesiæ, encom. 2.

Digitized by Google

itur sapientiæ thesaurum omnes appropriate Fideles. Citò enim reperietis, & ipsam comprobabitis claram, famosam, splendidam, illibatam, vllo prorsus sine errore, veritatis spiritu conscriptam. Vndè quilibet citrà offensam tutus, & securus, expedito gradu, velut per viam regiam, communi Ecclesiasticorum Patrum sensu tritam, poterit expatiari. Talis enim verborum proprietas, rerum modus, & in omni doctrinarum genere ordo singularis, tanta cum firmitate nitet, vt qui eam tenuerit, nunquam inuentus sit à veritatis tramite deuiasse, & qui eam impugnauit, semper fuerit de veritate suspectus. O solida igitur, & mira Thomæ doctrina! Adeò mira, quod tot miracula, quot articula censeantur. Omnes enim sunt plusquam humano lumine resoluti, pro cælestibus, & diuinis eloquiys prædicati, &c.

Mag. F. Petrus Cabrera, obseruantissimæ Religionis Sancti Hieronymi, suis literis satis clarus, & vbique notus, habet hæc verba: [b] *Innocentius Summus Pontifex, Thomam cum Salomone in sapiētia contulit, imò prætulit. & proprietate verborum, ac veritate sententiarum, post canonicas scripturas, collocandum putauit. Et meritò quidem, quoniam Theologiæ Scholam aperuit, & cælestia dogmata exactissimè patefecit. Ideò eius ingenium omnes hæretici fugiunt. Est enim turris illa Dauidica, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clipei pendent ex ea, omnis armatura fortium, ad destruendum omnem scientiam, extollentem se aduersus scientiam Dei.*

[b] M. Fr. Petrus Cabrera in 3. p. to. 3. prolog. ad lect.

[c] *Mag. Fr. Franciscus de Auila* Religionis nostræ, & insignis Diui Thomæ defensor. Floruit anno Domini millesimo sexcentesimo primo, & fuit vnus ex disputantibus Romæ, defendentibusque efficaciam diuinæ gratiæ, tempore Clementis Papæ VIII. de qua materia librum vnum composuit, sacra eruditione plenum,

[c] M. Auil. de auxil. cap. 17. in fin.

&

& ibi inquit: [d] *Hic Diuus Thomas, cui data est diuinitus sapientia; cui reuelata sunt secreta cælestia; cuius doctrinam sæpius Apostolica Sedes approbauit, cuius sententias de verbo ad verbum, in diffinitionibus Conciliorum desumptas, passim reperies. Innocentius VI. cuius doctrinā commendat, in sermone de eius laudibus, qui incipit, Ecce plusquam Salomon hic; qui cum miris scripta Doctoris Angelici extulisset encomijs,* (in hac serie verborum denotatur; Auctorem istum legisse sermonem Innocentij) *in hæc verba prorupit: Huius Doctoris sapientia præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita vt nunquam, qui eam tenuit inueniatur à tramite veritatis deuiasse, & qui eam impugnauerit, semper fuerit de veritate suspectus.*

d Mich. Pio de viris illustr. lib. 4. p. 2. fol. 377.

[e] *Thomas Pio Aponte* Lerinense, aliàs *Thomas de Yturin,* Lector Theologus in insigni Collegio Romano Societatis Iesu, cuius testimonium refert Mag. Arriaga, Diui Thomæ insignis alumnus, & sequentia habet. *Alter Pontifex Innocentius in sermone quodā de laudibus D. Thomæ, cuius initiū est, Ecce plusquā Salomon hic, sic de eius doctrina, nō solū laudatè, ac honestè, sed amplè, & splendidè loquitur, his verbis eā nobilitans. Huius Doctoris sapiētia, etc.* & postquā integrè totū elogiū refert, subiūgit: *Certè nō potuerūt grauiora dici verba in laudē, & ornamentū huius doctrinæ, neq; in odiū, dedecus, ac probrū eorum, qui leuiter eā impugnare nō verētur:* vbi locus datur notādi, qui reddātur sine decore impugnādo D. Thomā, in sensu huius Auctoris, illi videlicet, qui leuiter moti, hoc est, sine probabilitate benè fūdata, impugnāt, vel cōtradictoriè impugnant quodlibet dictum illius.

e Thomas Aponte apud Arriagam to. 2. doctr. Ang. fol. 112. n. 8.

Digitized by Google

f Grauina cathol. præscript. tom. 3. 3. p. lib 4. art. 10.

Eruditissimus [f] *M. F. Dominicus Grauina*, præter ea, quæ dicit in loco, cuius occasione hæc scribimus, alijs etiã locis librorũ suorum sustinuit veritatẽ sermonis Innocẽtij, & à quodã calũniatore luculenter defensauit, vbi inquit, *Sed cõtra est primò auctoritas Summorum Pontificũ. Innocentius in sermone, qui incipit, Ecce plusquã Salomon hic, tale testimoniũ perhibuit doctrinæ S. Thomæ. Huius Doctoris sapientia præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorũ, veritatem sententiarum, ita vt nunquam qui eam tenuit, inueniatur à veritatis tramite deuiasse, & qui eam impugnauit semper fuit de veritate suspectus.*

g Salmeron to. 1. in Euang. prolog. 18

[g] *P. Ildephonsus Salmeron*, licet extraneus, in amore tamen, & charitate coniunctus, recognouit encomiũ hoc D. Thomæ, & depositionis suæ, vel attestationis, nobis reliquit sufficientissimũ tenorem, quamtumuis breuissimum, dicendo, *B. Thomæ Aquinatis libri per Christi Vicarium Innocentium confirmati sunt.* Quia nemo somniauit aliud elogium emanatum ab Innocentij sanctitate, præter hunc sermonem.

h Mag. Ferdin. Castillo 1. p. hist. Ordin. lib. 3. c. 15.

[h] *M. F. Ferdinandus de el Castillo* Catholici Regis Philippi Secundi celeberrimus concionator, cuius laudes ingenia parua non sustinent. Obuium tamen est videre inquantum eius eloquentia celebrata fuerit ab Antonio Perezio in relationibus suis, & in epistolis, non semel, aut cursoriè, sed sublimiter, quotiescumq. de hoc viro mentionem facit, & facit frequenter. Vnum tantum dicam pro sui nominis gloria non vulgari, scripsisse eum nostri Ordinis historias ita felicissimo calamo, quod aduersarij nostri objiciebant nobis, satisquè efficaciter sine dubio. Ferdinandus del Castillo non refert elogium hoc D. Thomæ,

ergo

Digitized by Google

ergo elogium est incertum: Sed vt in alijs decipiuntur, ita in hoc argumento sunt decepti. Quia florentissimus scriptor iste rerum nostrarum nequaquam subticuit Innocentij Pontificis sermonem, imò refert his verbis: *Tiene su doctrina grandes aprobaciones, no solo de las Vniuersidades, y Estudios publicos, si no de los Romanos Pontifices, y de aquella sancta Silla Maestra dela verdad. Dijo el Papa Innocencio VI. en vn sermon de sus alabanças, que encomiença, Ecce plusquàm Salomon hic, estas palabras. Huius Doctoris sapientia præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicẽdorum, veritatem sententiarum, ita vt nunquam qui eam tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiasse; & qui eam impugnauit, semper fuit de veritate suspectus.* Episcopus etiam Monopolitanus, qui continuauit historias nostras, [i] commendat, & refert similiter elogium hoc, & ideò cessat omne argumentum desumptum à silẽtio historiarum Dominicanæ Familiæ.

[i] Episc. Monop. 6. p. hist. lib. 1. c. 89.

Domnus Thomas de Aquino Clericus Regularis, eximius defensor Doctoris Angelici, & in vinea Domini operarius benè laborans: [K] *Concinit* (inquit) *Innocentius VI. elogio non ignobiliori. Huius Doctoris sapientia præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita vt nunquam qui eam tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiasse; & qui eam impugnauit, semper fuit de veritate suspectus. Hæc sanctissimus Põtifex, à cuius verbis aliquid detrahere piaculum duxi.* & infra: *Meritò perorauit Põtifex, quod semper doctrinæ Angelicæ impugnatores erunt de fide suspecti.* & iterũ infra. *Enimuerò haud tantum illi tribuo, quod putem ad veritatem ipsam pertinere D. Thomæ doctrinam, hoc est, vt eadem illi, ac Numi-*

[K] Thom de Aquino de vinea Christi lib. 2. c. 6.

Digitized by Google

ni habeatur fides. Tamen *tantã adhibendam censeo, quãtam Angelo loquenti. Doctrina D. Thomæ media est, diuinæ proxima, humanæ superior, digna, quæ Angelica dicatur.*

l M. Araujo prolog. in laud. Eccl. Doctor. §. 7.

Illustriss. ac Reuerendiss. *M. F. Franciscus Araujo* huius ætatis Theologorum facilè Princeps: [l] *Huic* (inquit) *similis ab Innocentio VI. admonitio, & commendatio, de eiusdem sanctissimi Doctoris doctrinæ securitate, eminauit, sub his verbis: Huius sapientia præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita vt nunquam qui eam tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiasse; & qui eam impugnauit, semper fuit de veritate suspectus.* Et statim subiungit. *Hoc illustre testimonium Innocentij VI. etsi nonnulli nouatores temerario ausu respuant, tamen prorsus irrefragabile esse, &c.*

m M. F. Ildepho. Baptist. in apolog. pro auct. Doctor. f. 118.

[m] *M. F. Ildephonsus Baptista* sacræ Scripturæ moderator in Vniuersitate Cæsaraugustana, postquam hoc Innocentij testimoniũ proposuit, & Doctorũ auctoritatibus defẽsauit, nõ sine lepore, & gratia prosequitur: *Si testimonios tan antiguos, y la comun aprobacion, que hasta oy ha tenido este sermon, no le basta al Autor deel memorial, paraque le admita; abremos de traherle al mismo Innocencio, y aun podrà ser no lo crea; segun esta incredulo en todo lo que toca a este punto.*

n Auctores alij defendentes elogiũ citantur summatìt.

Sed reliquos Auctores de hac materia tractantes, & sermonẽ [n] Innocentij sustinentes, summariè referre volui: quia re vera obuij satis sunt, & inconuenit per iterationem eorundem verborum, onerare paginam his molestis repetitionibus.

Reu. *Mag. F. Ioannes à Sãcto Thoma* in 1. p. D. Tho. de approb. doctr. D. S. dist. 1. art. 2. tit. testim. Sed. Ap. *Franciscus Syluius* Canonic. Duacen. in apolog. pro

D. Th.

D.Th.& etiam in trac.de primo Motore.prol. ad lect.

F.Petrus de Valderrama Hispalen.in theat.Relig.impress.Barcinon.in serm.de D.Tho.

Episcop.Tranens.*Fr.Didacus Aluarez* tom.de auxil.lib.1.disp.vlt.

M.Fr.Ioannes Viescas,in tom.1.super 1.p.D.Thom. quæst.procem.dub.3.

F.Mauritius de Gregorio Siculus,in princ.comment. in lib.sentent.impress.ann.1645. vbi etiam subiungit; quod D.Thomæ doctrina vocatur à Pōtificibus verbis expressis, *Diuina*, *Cælestis*, *Angelica*, *Veridica*, *Catholica,lucidissima,ac eminens post canonicam script.*

R.P. F.Michael Pio de Viris Illust.nostri Ord. lib.1. f.245.vbi de S.Thoma refert selectissimas laudes.

F.Ignatius de Coutino de Sāctis trac.9.consid.3.n.4.

F.Tho.de Trugillo in Thesaur.concionat.libr.1.c.3.

P.F.Ioannes de Mata Prædic.Gen .in sanct.serm.de D.Thom.discur.4.

P.F.Ildephon.de Ribera Prædic.Gen.hist. sacr. tract. vlt.§.3.n.3.

M.Didacus Nugno sapientia, & virtute notissimus, in princ.ad 3.p.D.Tho.

F.Mauritius de Gregorio in sum.S.Thom. in formam arboris,miro ordine distributa, & impressa Neapoli anno 1613.in eius procem.

M.Hyacinthus de Rugeriјs in defens.doctrinæ Angelici Magist.impres.Neap.ann.1655. pag.1.

Reuer. ac erudit. *Magist. Fr.Gundisaluus Arriaga* tom.2. laudum doctrinæ Angelicæ à pag.107. latissimè sermonem Innocentij comprobans.

M.P.F.Tho.Vllar Auxitanus in sum.controu.B.Th. in init.oper. impress.ann.1638. vbi refert P.Bonifaciū

Ie-

Digitized by Google

Iesuitam lib. 5. de fruct. sapien. epist. 3.

R. P. F. Christophorus de Torres Prædic. Reg. Maiest. Cathol. & posteà Episcop. Ciuitatis de Sancta Fee. in serm. D. Thomæ.

M. Galuan Lusitan. qui singulari eruditione scripsit duo volumina in laudem Doct. Angelici, & ibi longã defensionem huius sermonis Innocentij contexuit.

Et quando sub prelò tractatus iste erat, vidi Neapoli *Cõclusiones ex vniuersa Philosophia*, dicatas D. Thomæ à celeberrimo Collegio S. Mariæ Maioris Clericorum Regularium eiusdem Ciuitatis, & typis mandatas ibidem anno 1660. de licentia Reuerendiss. Horatij Maltacea Vicarij Gen. præcedente etiam approbatione Doct. Matthæi Renzi, in quarum epistola dedicatoria ad Angelicum Magistrum refertur integrè hoc Pontificis Innocentij elogium à primo verbo vsq. ad illud inclusiuè, *de veritate suspectus*.

Nec est necessarium, vel etiam facile, referre cunctos testes huius elogij, cum prædicti ad probandum sufficiant, verba illius dissona nõ esse, aut à D. Thomæ sapientia aliena. Siquidem, si cõsideramus sacras Religiones Dominicanã, Frãciscanã, Augustinianã in suis memorialibus, Carmelitanã in suis scriptis, tũ vniuersitatẽ Salmantinã, tum tot viros scientia, & virtute illustres, tũ deniq; antiquã ducẽtorum annorũ traditionẽ & Ecclesiæ nostræ ritũ in Missarum solẽnijs, ac horis canonicis, prędicantes elogiũ hoc: possumus vocare in quæstionẽ, an præfata simul coniũcta, & accepta, habeant æqualẽ, aut maiorẽ auctoritatem, quã quilibet particularis Doctor, quãtumcumq; sit in dignitate maiori collocatus? Quia suppono, Pontificẽ Innocentiũ nequaquã pronunciasse verba huius sermonis,

vt Papa decernendo, sed vt particularis laudando. Et eapropter retineri debebant, quia saltē admissa, celebrata, in diuinis inserta, qualificata à Religionibus, Vniuersitatibus, Theologis, narrata ab historicis, & maximè antiqua sunt. Nec percipere possum, quā pœnā ego incurrerē, si essē primus dicēs in sermone, vel in scriptis, quod omnes impugnantes S. Augustinum sunt de veritate suspecti, quippè loquor cū proprietate vocis, & intelligo impugnantes contradictoriè. Si autē in fauorē Augustini possum hoc dicere primus: maiori cū fundamento valeā, in fauorē D. Thomæ, dicere vltimus. Quia loquor cū Sacerdotibus sacrificantibus, cū Clericis orantibus, cum Religiosis scribentibus, cum deuotione Fidelium, cum traditione ducentorum annorum, & cum infinitis viris doctissimis.

Et ideò his recogitatis, submittendoq; ea, non solū Ecclesiæ correctioni, sed literatorū censuræ: si ignorantiæ meæ indulgetur, & super controuersiam hanc ferā suffragium, alieno ore, & breuiter dicam, [o] *super omnibus negotijs meliùs, atque rectiùs olim prouisum, & quæ conuertētur in deterius mutari.* In presenti autē causa, [p] *nihil eueniße cur antiquitus instituta exolescāt, aut Principis Theologiæ honor in cuiusquā cōtumeliā vertatur.*

Cæterū, vt finem allegationi imponam; Mambritij verba, in D. Thomæ laudē, fideliter transcribo. [q] *Hic igitur* (inquit) *quasi alter Moyses meritò, & congruè dici potest, qui de aquis mundanæ vanitatis, & propriæ natiuitatis eductus, de Aquinorum illustri prosapia genitus, miro modo quasi per Pharaonis filiam Matri Ecclesiæ, cui tollitur, creditur, & eius vberibus Ecclesiasticæ disciplinæ, lacte diuinæ sapientiæ enutritur. Hic est Moyses, cui Deus mentaliter loquitur, ad fratres suos mittitur, & non sine signis,*

[o] Tacit. an. 14.

[p] Tacit. hist. 14.

[q] Boninus Mábritius in vita Diui Thomæ Auctor antiq.

ſignis, & mirandis prodigijs, ductor populi delegatur. Hic eſt Moyſes, qui duplici columna nubis, & ignis, Fideles de Aegypti tenebris, duplicis ſcientiæ luce doctus eduxit. In colũna ſiquidẽ nubea, quæ de terra oritur, intelligitur ſciẽtia ſæcularium ſcripturarũ, humanis ſenſibus, & ex ſenſibus acquiſita. In columna verò ignis lex illa ignea deſignatur, quæ ex dextera ſedentis ſuper thronũ, Deo ſibi inſpirãte, ſuſcepit. Hic eſt Moyſes, qui, de petra difficilis intelligẽtiæ ſcripturarũ, fluenta diuinæ ſapientiæ, dũ orauit humiliter, obtinuit abundanter. Hic eſt Moyſes, qui montẽ diuinæ ſpeculationis aſcendens, non ſine ſtylo diuini digiti ſcribens, in eius animo, ſub duarum tabularum ſimilitudine, ſcientiam duorum teſtamentorum, de ſumma diuinorum ſpeculatione portauit, &c.

Habemus ergo, quòd nemo ei, ſine ſuſpicione de veritate contradicat. *Habemus* elogium hoc illi conuenire à tempore Innocentij Sexti. *Habemus*, quòd licet reliquis Doctoribus Eccleſiæ, propter auctoritatẽ ſuã maximã, nullus contradicere debet: D. Thomæ cõtradicere, nõ ſolũ auctoritate reſiſtẽte, ſed Põtifice inhibẽte, nemo poterit. Et hæc prærogatiua, ſub hoc ſenſu, ſingulariſſima eſt, quia à Papa inuenta, prolata, recepta: & quia, quæ in dubiũ fortè vocaretur ab aliquo audaciſſimo, extra totius cõtrouerſiæ limites, Põtificis verbo nũc intercedente, præualuit. *Habemus* deniq; Magiſtrũ noſtrum, tot libros conſcribentẽ, tot arcana reſerantẽ, tot diuina docẽtem, vt de illo, vno ore, prædicare perpetuò poſſimus, quod [r] *omniũ habere memoriam, & penitùs in nullo peccare, diuinitatis potius, quàm mortalitatis eſt*. Siquidẽ cuncta ſua [f] *ſcripta, & opera, in Dei laudem, Fideique dilatationem, non abſque ſpeciali Dei infuſione perfecit.*

F I N I S.

r textr. in l. 2. §. ſi quid autem, ff. de veter. iur. enucelean.

f Io. XXII. vbi ſup. fol. 30.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE





Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

BIBLIOTECA